

Sancti

16050873

 L O D O -  
uici Lemofij

MEDICI, AC PHILOSOPH

*phi, Salmanticae philosophiae pu-  
blice professoris, Paradoxo-  
rum Dialecticorum,  
libri duo.*

AD ILLVSTREM, AC DO

ctissimum D. D. Christophorum

Vellam, & in sacra Theolo-  
gia meritissimum des-  
ignatum.

~~num. 36. cap. 2. num. 22.~~

SALMANTICAE

Excudebant heredes Ioannis  
à Junta Floren.

1558  
*De la comp<sup>a</sup> de Jhs de Salta  
de la Junta*

YO el Doctor Antonio Lopez Corujo, prouisor, e fiscal, y uicario general en lo Spiritual y temporal: en la ciudad e obispado de Salamanca ca por el muy illustre y Reuerendissimo señor don Francisco Manrique de Lara Obispo de Salamanca, y del consejo de la Magestad Real: por la presente doy licencia a qualquier Impressor, para que pueda imprimir el presente libro, que compuso el Licenciado Luys de Lemos Portuguez cathedratico de Philosophia en la uniuersidad de Salamanca. El qual se intitula Dialecticorum Paradoxa, sin que por ello cayan ni incurran en pena ni censura alguna. E yo por la presente doy licencia para se imprimir, porque por mi fue uisto y examinado el dicho libro. Fecha en Salamanca a quinze dias del mes de Agosto, año del Señor, de mil quinientos y cinquenta y ocho años.

Doctor Antonio Lopez.

Por mandado del dicho señor Promisor

Pero Perez.

# ILLVSTRIAC

DOCTISSIMO D. D. CHRISTOPHORO VELLE, & in sacra Theologia meritisimo designato, Louduicus Lemofius.

S. P. D.



APPLICI nos natura cōstare, uir & literarū cognitione, & maiorū tuorū splendore ornatisime, apertē philosophorum schola proficitur: corpore nimirum et animo: quorum altero mor

tales corruptioni; obnoxij, brutisq; animāibus similes sumus: altero uerò & ab his seiungimur, et rationis capaces efficiamur. Verū summo perē de ceterum, qui tanto munere uti cupit, non solum hac una re sit contentus, uerū elaboret, nihil sit quod ad eius animi splendorem attineat, quod ipse & laboribus asiduis, & uigilijs non consequatur. Inest enim nobis animus tanquam rudis tabula, quam, qua maluerimus arte, ornare licebit. Vnde

2 iam

tam cum literarum, scientiarumq; cognitio non nobis hereditate, sed cura & diligentia pareat, animusq; noster hoc misero & mortali corpore adeo sit oppressus, ut non omnia recte percipere ualeat, sit, ut in quam plures errores quotidie homines labantur: quod quam sit dolendum, quamq; deplorandum, nemo est, qui non intelligat. Adde etiam, ex his erroribus eo maiora hauriri incommoda, quod a peritioribus uiris proficiuntur, cum horum autoritate totus ferè orbis fulciri credatur: & ita multorum teneri adolescentum animi in re literaria non experit, tamq; cæci, & à cæcis, quod peius est, ducti, in maximum tenebrarum antrum incidit, à quo uix illos educere poteris. Quæ omnia mala cum rectè animaduertirem, & quæ plurima uirorum doctissimorum scripta legerim, in his præsertim, quæ ad logicam, & physicam spectant, non paucos inueni errores: quibus si adolescentes in his artibus tyrones imbuerentur, Diis im mortales, quæta mala comparari uideres: Et cum non solum mihi, sed & alijs prodesse cuperem, non nullos errores collegi, ut illis animaduertis, satisq; perspectis, nullus deinceps locus errandi daretur. Quod non detrahendi ( ut passim fieri solet ) sed amoris mei erga omnes studiosos declarandi gratia,

tia, effeci: sperans facile me, quantum unusquisq; in re literaria ualeat, demonstraturum. Cum has igitur meas uigilias in lucem edere constituerim, rei uouitatem pertimescens, maleuolorum improba dicta effugere conabar (sunt enim nonnulli, qui cum maxime à laboribus & studijs sint alieni, eos, quibus quasi à natura laborare, & literis indulgere inditum est, ab hoc munere sua impia uiperinaq; lingua deterrent) horum, inquam, iudicium uarium effugiens, cum meis diffiderem uiribus, patronum, & aduocatum te solum hac in re, uir illustris, quæsiui: cuius ope & auxilio hic noster qualiscunq; tuo nomini dicatus libellus, esset munitus. Neminem enim ita impium credo fore, à quo, si hunc librum tibi suscipias, non maxime probetur. Quis enim tam audax, qui tibi aliqua in re repugnare audeat? Quis tue sententiæ libenter non astipuletur? præsertim si ante oculos proponat quanta in te sunt, quæ uiros omnes illustrare solent. Imprimis maiorum tuorum præclarum genus adeo patet, ut neminem crediderim fore, qui à quam illustri stirpe sis genitus non intelligat. Et ne omnium mentione facere uidear, quid de inchyti patris tui animi splendore dicam? Quibus uerbis, quoniam affectu incredibilia eius facta explicabo?

Tanta enim eius animi uis ac uigor, tam flagrans  
erga Deum pietas: tam admirabilis erga patriam  
charitas: tam insignis erga Regem obseruantia ex  
stitit, ut nō ijs solum, quæ reliquis satisfaciūt, contē  
tus fuerit, uerū summa animi contentione, non  
sumptui, non uigilijs, non laboribus, non denique  
omnibus incōmodis, quæ secum nauigatio affert,  
pepercit, sed ijs omnibus contemptis, Hispania recu  
lta, uxore charissima, unicum amoris pignus, lin  
berisq; suauissimis omisiss, iussu inuictissimi Cæsar  
is Caroli. Q. toto ferè mari peragrato, ad In  
dos tandem maxima hominum, nauiumq; classe,  
deuenit. Quos ita tandiu debellauit, ut illos (res mi  
rabilis dictu) in Augustissimi Cæsaris ditionē tra  
diderit. Ex quibus præclaris gestis, Cæsari maxi  
mum & immortalale nomen, Hispanis infinitam au  
ri, & argenti copiam, sibi suisq; posteris, eternā  
nunquāmq; perituram famam ac gloriam compa  
rauit. Valeant iam nunc Cæsares illi antiqui, ua  
leāt illi strenui Romani duces, qui pro tuenda pa  
tria, se mortis periculo sepiusimè deuouerunt. Nā  
multis nominibus illos pater tuus superat: illi enim  
solum ut patriam tuerentur laborabant: hic ut tua  
tam amplificaret: illi ut famam perituram acqui  
rerent: quando solum auræ popularis captandæ

gratæ

gratia id efficiebant: hic ut immortalalem consequere  
retur, quippè qui solum Dei Opt. Max. amore  
incensus, his sese obijcit periculis: illi ut hominēs  
ab hominum insultu ac periculo liberarent: hic ut  
illorum barbarorum animas, quæ sub satanæ im  
perio tenebantur, tanquā à leonis faucibus, erui  
peret: illi ut inimicorum spolijs fruerentur: hic ue  
rò ut Christi seruatoris nostri orthodoxa fidēs in  
crementum suscipere. Sed non plura de illo pro  
feram, ne institutum mutare uidear, cum non in  
clyti patris tui laudes scribere decreuerim. Cui si  
omnibus in rebus prospera fortuna fuit, hac una  
in re, quòd te nimirum filium habuerit, non minùs  
secunda exitit. Qui cum intellexisses, quantum tibi  
ex maioribus tuis dignitatis cumulus accesserit,  
sitq; ingenui animi partis semper aliquid addere,  
ut tu tuos superares pro uiribus conatus es: præci  
puè cum tantæ sint animi corporisq; tui doctes, ut  
facile omnia pro arbitrio cōsequi ualeas: & cum  
literæ maxime sint cum re bellica coniunctæ, tu  
bello tanquā immuni & fero relicto, ad sacræ  
Theologiæ studia, ita te contulisti: ut non solum  
tuis socijs excellas, uerū & superiores æques. In  
qua quantum elaboraueris, satis colligere illi po  
terunt, qui lectiones tuas quotidianas considera  
runt.

2. 4

uerint:

uerunt: quæ omnes fideles tuæ eximia eruditionis,  
testes suauissimiq; fructus, sunt. Accedit item, quòd  
hanc tuam eruditionem ita singulari prudentia  
ornas, ut maximè inter se pugnent, quenam plus  
apud te ualeat. De qua quid tempus frustra con-  
sumam? Satis mihi erit te plurimum prudentia ua-  
lere, cum animaduerto hanc inclytam Salmanti-  
censem Academiã, cum in eã Rector fueris, qua pru-  
dentia & autoritate administrasti. Ita enim hoc  
præclarum munus obiisti, ut nihil desiderari am-  
plius possit. Quod non nisi prudentis consilij uiri  
indiciũ summum est. Nulla enim in re tantum  
cuiusq; prudentia spectatur, quantum si aliquod  
commissum onus optimè fideliterq; gerat. Quod  
tu ita effecisti, ut in æternum huius prouinciæ me-  
moria manebit: quam nulla unquam delebit obli-  
uio. Taceo tuam singularem humanitatem, qua  
omnes tibi commendatos suscipis: quæ non nisi in-  
genno, & illustri animo inest. Denique ea sunt  
tuæ uirtutis, tuarumq; laudum præconia, ut si à  
me essent recitanda, nunquam meis dictis finem  
imponerem. Quapropter, uir illustris, te per ad-  
mirabilem animi tui uirtutem, præclarum maio-  
rum tuorum genus, eruditionem non uulgarem,  
insignem prudentiam, & propensum erga literas  
amorem

amorem obsecro: ut hoc nostrum opus, quòd cuiq;  
sit, tua ope & patrocinio foueas, quòd possit liberè  
in publicum prodire: meq; semper posthac tibi de-  
ditissimũ habeas, ut quæ tua humanitas, splendor,  
ac eruditio iam diu deuinxerunt: nunc hoc uno benefi-  
cio deuinctiorem reddas. Vale uir Illustris ac  
doctissime, nostriq; semper in æternum  
memineris. Iterum uale. Ex hoc no-  
stro Salmanticensi Museo.

vij. idus Augusti.

1558

# FRANCISCI

MARTINI COLLEGAE

*Trilinguis carmen, ad illustrem  
admodum D. Christophorum Vellam.*

**O**ceani quisquis potuit transcendere metas,  
Primus & ignoti contigit orbis aquas,  
Repperit antiquis incognita litora seclis,  
Occultiq; diu repperit astra poli,  
Nos quoq; foelicem mittemus in aequora puppim,  
Si nostra illustris lintea Vella regas.  
Nos intentati sulcabitur aequoris undas,  
Sis Helice nobis & Cynosura precor.  
Hactenus inuisas dabitur cognoscere causas,  
Quodq; diu latuit forte patebit opus.  
O Vella illustri qui ducis origine nomen  
Adsis, atq; noue dirige puppis iter.  
Tu uela implebis, tu clari Syderis instar  
Te duce uela damus: dirige Vella ratem.

# IACOBVS

SALVATOR MVRGEN=

*sis Theologus Ludouico Le=*  
*mosio. S.*



**C**um nuper libros Dialecticorum Pa= radoxorum, quos nunc in manus ho= minum mittere destinasti, domi lege= rem, & summa cum diligentia euolu= uerem, reuera, Lemosi doctissime, ingenij acumi= ne, & dexteritate sermonis multa disputationum genera in Dialecticis, ueritatesq; iacentes è tene= bris eruere atq; liberare uisus es. His enim quæ de inductione, de inueniendo medio, de Metodo, & alijs, quæ breuitatis causa omitto, quid absolutius, quid pulchrius, quid grauius inueniri possit, non intelligo. Quod autem grauissimos uiros, & eos, qui in hoc differendi genere excellere uisi sunt, tam acriter reprehendis, non est, quod ab aliquo spino= noso Dialectico uitio uerti possit, homines enim sumus, inquit ille, errare quidem potuerunt, rem semper acu attingere non potuerunt. Vnde à quibus discere oporteat, quosq; auctores legere ma= xime

# FRANCISCI

MARTINI COLLEGE

Trilinguis carmen, ad illustrem  
admodum D. Christop-  
horum Vellam.

**O**ceani quisquis potuit transcendere metas,  
Primus & ignoti contigit orbis aquas,  
Repperit antiquis incognita litora seclis,  
Occultiq; diu repperit astra poli,  
Nos quoq; foelicem mittemus in aequora puppim,  
Si nostra illustris lintea Vella regas.  
Nos intentati sulcabitur aequoris undas,  
Sis Helice nobis & Cynosura precor.  
Hactenus inuisas dabitur cognoscere causas,  
Quodq; diu latuit forte patebit opus.  
O Vella illustri qui ducis origine nomen  
Adsis, atq; noua dirige puppis iter.  
Tu uela implebis, tu clari Syderis instar  
Te duce uela damus: dirige Vella ratem.

# IACOBVS

SALVATOR MVRGEN=

sis Theologus Ludouico Le=  
mosio. S.



Vm nuper libros Dialecticorum Pa-  
radoxorum, quos nunc in manus ho-  
minum mittere destinasti, domi lege-  
rem, & summa cum diligentia cuo-  
uerem, re uera, Lemosi doctissime, ingenij acumi-  
ne, & dexteritate sermonis multa disputationum  
genera in Dialecticis, ueritatesq; iacentes è tene-  
bris eruere atq; liberare uisus es. His enim quæ de  
inductione, de inueniendo medio, de Methodo, &  
alijs, quæ breuitatis causa omitto, quid absolutius,  
quid pulchrius, quid grauius inueniri possit, non  
intelligo. Quod autem grauißimos uiros, & eos,  
qui in hoc differendi genere excellere uisi sunt, ita  
acriter reprehendis, non est, quod ab aliquo spi-  
noso Dialectico uitio uerti possit, homines enim  
sumus, inquit ille, errare quidem potuerunt, rem  
semper acu attingere non potuerunt. Vnde à qui-  
bus discere oporteat, quosq; authores legere ma-  
ximè

ximè curandum est: iurare enim in magistri uerba, insipientis, ac planè stulti hominis est: quare intelligi uelim, uerum esse quod Socrates ait apud Platonè in Protagora, longè grauius periculum esse in disciplinis, quàm in cibis emendis. Adde, potentissimos impetus esse ueritatis. Quòd si quis tua cum alijs conferat, uel in Aristophanis, quod dici solet libra, aut Critolai examinet, faciliè quidem intelliget, Lemosio quantum debeat propter reuerentiam, et ad pristinam dignitatem in multis reuocatum, ueritatem. Quemadmodum enim quæ pulchra sunt, ubiq; pulchra uidentur, quæ uerò turpia, ubiq; turpia, non tamen quæ pulchra turpia, neq; quæ turpia pulchra: Sic quæ uera sunt, omnino uera esse censentur: tum apud nos, tum apud homines uniuersos: quod et in Minoë probat Socrates. Velint, nolint, igitur agnoscent homines uim maximam esse ueritatis, quæ diu latere non possit. Nec obganniat Ramus Cymbalū mundi, ut de Apione grammatico dicebat Tyberius Cæsar, qui tantos in philosophia progressus fecisse se autumat, ut Aristotелеm cum Peripateticis omnino superare profiteatur, ac ueritatem erutam à se contendat editis animaduersionum libris, et de Dialectica minuto libello, uersibus poetarum reuertissimo,

reuerentissimo, quos si demas, ferè nihil Rami in libello erit. Eueniet sanè quod de Chryssippo Tharsensi dictum est, qui, ut in uitis refert Diogenes, in scribendis uoluminibus magna testimoniorum nube utebatur, adè ut opusculis quibusdam totam Euripidis Medeam inseruerit, unde quidam interrogatus quisnam esset liber ille quem in manibus haberet, Chryssippi Medeam esse respondit. Quænam in his falso asserta sint à Ramo, in te Lemosi optime patebunt, nec enim omnia refutas, esset enim hic labor infinitus. Discat igitur Ramus in ueritatem à se ueritatem fictam ueritatem esse, ac in posterum Aristotелеm non reprehendat, sed nec in ore habeat Aristotеле, ut sic loquar, ueluti Tharsites, qui cum Agamemnonem iniurijs persecutus fuisset, ab Ulyssè prohibetur, ne reges in ore habeant, idq; uersu illo apud Homerum Iliados. β.

Τὸ δὲν ἀπὸ βασίλειος ἀνὰ σοφίᾳ ἕχον ἀγαθόν.

Nec est quòd uulgus putet animo laceffendi male uolo te hoc scribendi genus ac prouinciam suscepisse, ut Rami, Talei, ac aliorum errores minutim dissecares, non cum hominibus, sed cū corū sententijs disceptatio est, scio te solum ueritatis causa fecisse. Dicit tamen fortasse quispiam, non bene his duobus libris, quòd magni nō sint, multorū auctorum



authorum opiniones cōfutari posse, quasi in duobus libris conglutinari ac coagmentari non possint multa, non ut probem quod Callimachus grammaticus, ut in Dipnosophistis scribit Athenæus, dicere solebat, magnū librū magno malo similit esse, sed quod & in his tam multa conglutinata sunt, ut satis esse possint ad defendendam ueritatem. Sed licet hoc ita sit, tu tamen alios meditaris, quos cum his cōiungere possimus. Perge igitur, & reliquos, qui desunt Dialecticorum Paradoxorum libros in lucem edere ne differas: spero enim in illis maximam futuram frugem. Labora etiam, ut semper soles, philosophiam cum eloquentia coniungere, quanuis hæc duo pugnare contendant isti minuti plebei, ac plane ligni philosophi. Vale. Sal-  
mantica, calendis  
Augusti.

# IACOBVS SI

MONIVS, MEDICVS

omnibus Philosophiæ studiosis.

S. P. D.



Ique quondam ab antiquis tradita sunt summo in honore habentur, ut que nobis aliquid obscurum & incongnitum declarent: non immerito hic à te erit libenter amplectendus liber. Qui licet uerbis exiguis appareat: nihil tamen in tota fere Dialectica desiderabis, quod abundè tibi nõ suppet. Prasertim cum ea nobis doctissimus Lemosius hic proponat, que maximam claritatem in tantis errorum tenebris adhibere possunt. Ita enim nostra Dialectica quam plurimus est erroribus oppressa, ut uix quid de unaquaque re uerè sit sentiendum, percipiamus. Quod solet multorum animos ab eius studio detertere. Hoc quantum tam præclare facultati adferat detrimentum, quantum ignominiam, nemo est qui non intelligat: usque adeo, ut ipsammet Dialecticam cõqueri crediderim, quod tam paucos sui nominis studiosos inuenerit, qui eam ab imperitorum calumnijs & inscitia tueantur.

tur. At nunc cesset, cesset querela. En Lemosium  
uirum in omni doctrinarum genere satis exper-  
tum nobis Deus dedit, qui cum se totum philoso-  
phiae studio tradiderit, nihil aliud curat, quã quo  
pacto ueram methodum (qua omnia facillimè con-  
sequatur) nobis exhibeat. Liceat enim mihi tuto iu-  
rare, nunquam eius domum adijisse, quin eum libris  
suis totum absorptum, ut ita dixerim, inuenerim.  
Vnde mihi eum obiurgandi sæpissimè locus daba-  
tur, quod nullam nec salutis, nec amicorum fami-  
liaritate fruendi rationem haberet. Verum is est  
eius erga literas amor, ut mihi responderit nun-  
quam tam prospera se uti ualeitudine, nunquam  
tanto affici gaudio, quàm cum libros suos uol-  
uens, aliquid animaduersione dignum inuenit, quo  
& sibi & omnibus literarum amatoribus pro-  
fit. Et ne tempus in re clara omnibusq; conspicua  
consumere uideat, se totum Musis dicauit, quarum  
gratia nõ sumptui, non laboribus parcit unquam.  
Hæc cum ita sint te rogo, ut huc librũ accuratè le-  
gas: & quæ hic proponuntur dubia, æquè perpen-  
das. Sic enim fiet, ut cũ & ab inuidorum detracto-  
rumq; calumnijs uendices, & Lemosium, ut multa  
alia, quæ secum diu cogitat, in lucem edat, incites.  
Quæ quantam omnibus uilitatem sint allatura,  
tu ipse uideris. Vale.

Lodo-

# LODOVICI LE

MOSII LVSITANI, MEDI-

ci ac philosophi Salmanticae philoso-  
phiae publicè professoris, Diale-  
cticorum errorum li-  
ber primus.

AP. I. In quo uera & recta differen-  
tia inter dialecticam, & logi-  
cam ostenditur.



**Q**UONIAM supplicio corũ  
temeritas digna existimari  
debet, qui utilissimis illis arti-  
bus, quæ ad hominum usum,  
& utilitatem, summa quadã  
industria, sunt adiuuentæ, ita  
abutuntur, ut absq; ullo timo-  
re, magna de seipsis audeant polliceri, & nihil  
aliud quàm miseram calamitatem & perniciem,  
afferunt. Huiusmodi enim audacissimi, & fallaces  
homines sub specie quadam scientiæ grauiora ma-  
la solent cõmittere, quàm si niquam ullis artibus,

A & re-

& rerum cognitioni, studium, atq; operam adhi-  
 buissent. Nam uarijs erroribus implicati cum mi-  
 seri ostentationis causa suam artem exercere co-  
 nentur, aliorum periculo sibi sumptus faciunt, &  
 ignarum uulgus falsa illa opinione deceptum alii  
 ciunt, & subdolis uerbis nullius habita ratione si-  
 bi tantum prospiciunt. Vos admiror o dialectici,  
 quorum plerq; tan praepostero iudicio, de his  
 rebus, quae uestri sunt muneris sentire uideo, ut nō  
 satis intelligam, an imperitia, & inertia uestra  
 an crudeli potius impietate compulsi, tam temerē  
 hominum scientias, & facultates tractandas pute-  
 tis. Et quō maior ipsius dialecticae laus est & di-  
 gnitas, tantō grauius uestri erroris crimen re-  
 prehendum uidetur. illa enim animum exa-  
 cuit, uos, eundem turbatis; illa facit, ut animus cum  
 corpore uigat: uos facitis, ut citō deficiat. Illa me-  
 ritō & utilis & necessaria semper ab hominibus  
 habita est: illam immeritō inuilem, & superua-  
 caneam facitis. Quibus maledictis, qua uituperati-  
 one uos dignos esse creditis? Maximo supplicio  
 affici iure optimo debet, qui eas artes, quae in ho-  
 minum commoda fuere excogitatae, in eorundem  
 incommodum & exitium conuertit. Quid dicam  
 de illis, qui cum se fingant Aristoteles esse, &  
 doctri-

doctrinam Arist. tueri putant, eam omnino per-  
 dunt, ut ferē nihil ueri uix apud ipsos reperiri ua-  
 leas. O nefariam temeritatem! o scelus praedican-  
 dum! cur uos non pudet Aristoteles appellari,  
 cum re ipsa publici Arist. inimici sitis? Nullū apud  
 uos caput reperietur, quod tertio quoque uerbo,  
 mille erroribus non scateat, unde uestram impu-  
 dentiam non possum non perhorrescere. Ab quid  
 dicam, de ijs, qui inutile, uanā, ac futilem, doctrinā  
 Arist. esse infantiliter existimant? Quis enim Ari-  
 stotelem philosophiae principem debitis laudibus  
 & iustissimo honore defraudari patitur? Quis  
 tantus furor mentem inuasit, ut uirum de omni-  
 bus bene meritum, ineptissimis, & turpissimis uer-  
 bis confodiat? Sed usq; adeo, o Valla, o Rame, o  
 Talee, o Nizoli, uestra audacia & impudentia  
 sese extollit, ut quicquid libuerit, rectē esse factu-  
 ros uobis persuadeatis, & in maledicta non dubi-  
 tetis crudeliter sauire, & uestram impudentiam  
 liberē exercere. Sed ne credatis tanta laude, &  
 commendatione uos esse dignos, cum nec dialecti-  
 ci quidem sitis. Vultisne dialectici appellari, cum  
 id quod est artis, minime praestetis? At ego musicū  
 non ausus essem dicere, eum, qui concentum non  
 intelligat, & instrumentorū harmoniam nesciat

iudicare: ita nec uos esse dialecticos iudico, cum neque Aristotele neque eius doctissimos dilucidatores uideritis, & si uidistis, certe de ijs iudicare, mihi nimis gentium potuistis. Ne autem perpetuo in tanta rerum caligine uersarentur dialectici professionis studiosi, uolui nonnullos horum, & recentiorum dialecticorum errores (non omnes, id enim infinitum esset) in unum compilare uolumine, ut ex istis, quid posthac de predictis sentiendum sit, plane intelligant, discantque leonem ex unguibus aestimare. Neque temere me facturum existimauit de tot celebratis uiris iudicare, cum ueritate ipsa nihil habeam antiquius: quam si in omnibus assequi omnino non ualui, certe eius unius ambitu laboraui. Errant igitur omnes dialectici recentes, quod ueram differentiam inter dialecticam et logicam nesciant, & uocabula haec passim confundant. Atque ut ueritas huius rei facilius elucescat, hinc initium esse sumendum arbitror. Intellectus humani duas esse uires Aristoteles scripsit: alteram, quam *πρακτικην* uocat, & alteram, quam *θεωρητικην* nominat. illam quidem quod rebus agendis det operam: hanc uero, quod in ueri inquisitione sit tota occupata. Has intellectus potentias, omnes artes, omnesque scientiae insequuntur, unde Aristoteles lib. 6

pri-

prima phi. cap. 1. haec scripsit. Omnis mentis actio, aut in actione cernitur, aut in effectione, aut contemplatione. Dicuntur ea in actione cerni, quae ad mores ac uitam bene instituendam pertinent. In effectione uero ea cerni dicuntur, quorum finis est, ut aliquid efficiatur. In contemplatione autem ea posita sunt, quae eo tantum spectant, ut ueritas cognoscatur. Huc Aristoteles respiciens lib. 2. prima phi. cap. 1. haec dixit. Recte autem se habet philosophiam scientiam ueritatis appellare. Speculatiue etenim finis, ueritas practicae autem, opus. Cum igitur non possint plures esse siue artes, siue scientiae, quam quot sunt mentis actiones, fit, ut tria tantum sint artium, siue scientiarum genera. Vna earum, quae in actione sunt, & artes actiuae uocantur, quae scilicet actiones aliquas efficiunt: ubi uero ab actione cessauerint, nullum ex se opus ostendere possunt: ut saltatoria, citharistica, & quaeuis alia ars musica. Alterum, quae in efficiendo cernuntur, & factiuae appellantur, quae opificia post ea indicant: uel quae operis, quod oculis subijcitur, consumptione finem accipiunt: ut pictoria, & fabrilis. Sunt uero artes factiuae duplices. Nonnullae enim res ipsas componunt, ut, textoria, & coriaria. Quaedam uero ea, quae facta sunt, corrigunt, sicut

A 3 que

8. top. ca. 2

Idem .ca. 9

opus. 1. top.

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quae sunt artes

quod in dialectica  
lib. 6. ca. 7. dicitur

Libro 3. de  
anim. ca. 6

quæ laceras uestes, & diruptos calceos consuunt.  
 AEdificatorie certè artis duplicia sunt opera,  
 domus nimirum nondum existentis constitutio, et  
 iam factæ reparatio ac correctio. Inter has ars  
 comparans nominatur, quæ scilicet nihil efficit, ue-  
 rum res quasdam studio & labore uenatur ac cõ-  
 quirrit: ut, piscatoria, & ars feras canibus in-  
 sectandi, & quæuis uenatoria. Hæ siquidem nihil  
 efficiunt, labor autem & studium earum in hoc  
 est, ut aliquid comparent. Tertium earum, quæ in  
 contemplatione ac cognitione posita sunt. At qui-  
 dem philosophia quanquam latissime patet, non  
 ad tria hæc artium genera pertinet. Quo fit, ut  
philosophia duas tantum in partes distribuatur,  
 unam cognitionis, alteram actionis. Hæc quæ in  
 actione posita est, in tres partes distribui solet,  
 ethicen, politicen, & æconomicen. hoc est, in eam  
 artē, quæ unius hominis mores instituit, et in eam,  
 quæ rationem regende ciuitatis continet, et in eā,  
 quæ rei familiaris gubernationem instituit. Alte-  
 ra autem pars, quam in cognitione positam dixi-  
 mus, ab Arist. lib. 6. primæ phi. cap. 1. in naturalē  
 philosophiam, mathematicam, & metaphysicam  
 distribuitur. uerba Arist. hæc sunt. Quare tres uti  
 que erunt speculatiuæ philosophiæ, physica, mathe-  
 matica,

matica, theologia. & lib. 11. eiusdem nominis ca. 6  
 hæc ait. Patet igitur tria genera speculatiuarum  
 esse scientiarum, physicam, mathematicam, theolo-  
 giam. Mathematica scientia est, quæ de nume-  
 ris, de tonis, & uocibus: quæ de lineis & figuris,  
 quæ de astris eorumq; ortu & occasu agit. Phy-  
 sica, quæ nature causas, & opera perscrutatur.  
 Theologia, quæ iam supra naturā feruntur, contē-  
 platur. Cæterum alias ab his non esse sciētias hoc  
 unico ratiocinio persuaderi potest. Sciētiae distin-  
 guuntur, ut res ipsæ, de quibus scientia habetur,  
 secerni solent: atqui res diu taxat in triplici ordi-  
 ne reperiuntur: scientiæ igitur in eodem ordine  
 inueniuntur. Propositionem Arist. lib. 3. de anima  
 cap. 8. docet. Assumptionem in hunc modum pro-  
 bo. Nam ea speculatio, quæ circa res à materia  
 non separatas uersatur, quæq; auxilio sensus, &  
 uisionum ope ipsam potestatis intellectum perfe-  
 cit, naturalis scientia nūcupatur ea ratione, quod  
 & circa eas res, & in ijs consistere Natura ui-  
 deatur. Eam autem contemplationem, quæ circa  
 res in materia omnino carentes, & purissimam in-  
 tellectus agētis actionem, necnon circa illum actū  
 intellectus potestatis uersatur, quæ unā cum intel-  
 lectu agente conficitur, diuinarum rerum scien-  
 tiam.

tiam, & primam philosophiam, & metaphysicā uocant, quia scilicet post naturalium rerum traditionem instituta illa, & ordinata esse uideatur. Ceterum ea cognitio, cui subiecta sunt res, partim coniuncte materiae, partim abstractae, mathematica nuncupatur. Haecenus integrum Arist. locum lib. 1. de anima cap. 1. enerrauimus. Qui eadem accuratius, & copiosius uoluerit legere: uideat cap. 2. lib. 2. phy. & 10. cap. lib. 7. primae phi. Vera igitur & illa conclusio est, tria tantum esse scientiarum speculatiuarum genera. Quod si uera est illa, quae ex Arist. sumpta est philosophiae diuisio, pars philosophiae omnino esse non potest, neque logica, neque dialectica. Cum enim philosophia nil sit, quam sapientiae studium: nulla autem sit in logicis, & dialecticis, cognitio sapientiae, eod quod earum rerum est, quae certae, aut necessariae sunt, & propter se expetendae, omnis sapientia fit non immerito. Et cum Aristotele teste logices cognitio expetenda per se non sit, & dialectica in probabili uersetur, utraq; indigna sapientiae censetur nomine. Quid igitur sit logica, & dialectica ex Arist. dicamus, et quomodo inter se differat. Primum igitur logica, ut Arist. putauit, per se nihil ad actionem, nec ad cognitionem iurare, sed illius tantum

tium ob id expeti cognitionem, quod nobis adiumentum est, ad ea quae actionis sunt, aut contemplationis intelligenda. Quo fit, ut recte ab interpretibus Graecis Arist. appelletur ἔργον τῆς φιλοσοφίας, id est, instrumentum philosophiae. Illud autem quod citamus Arist. testimonium, scriptum est lib. 1. top. ca. 9. statim in initio. Cuius haec sunt uerba. Quaedam enim problematum utile est scire tantum ad eligendum, uel fugiendum: ut, utrum uoluptas sit eligenda, an non? Quaedam autem ad sciendum tantum, ut, utrum mundus aeternus sit, an non? Quaedam uero ipsa per se quidem ad neutrum horum, adminiculantia autem sunt ad aliqua talium. Haec ille. Ex quibus colligitur logica problemata ex Arist. sententia per se non expeti. Quod autem Arist. uelit haec problemata logica esse, perspicuum est ex ijs, quae ipse cap. 12. eiusdem lib. in hunc modum scripta reliquit. Ἐ' σ' δὲ (ὡς τυπὸς πῶδα βῆν) τῶν ποτασῶν καὶ τῶν προβλημάτων μὲν τρία. αἱ μὲν γὰρ ἡθικῶς ποτασῶν εἰσιν, αἱ δὲ φυσικῶν, αἱ λογικῶν. Hoc est propositiones & quaestiones (ut earum rudi minerua numerum complectatur) tribus ferè generibus continentur, partim morales, partim naturales, partim logicae. Et paulò post subiecit quaestiois logicæ exemplum in hunc modum.

λογικῶν ἁπλοῦν πρῶτον τῶν ἰσχυρῶν ἡ ἀληθῆ . πρῶτον, ἡ δὲ  
 i. logicæ quaestiones, ut, utrum cōtrariorū sit eadē  
 disciplina, an non. Elicies itaq; Aristot. de logico  
 problemate loqui, & nullo pacto per se expeti,  
 sed adminiculans aliorum esse. Nunc quibus in re  
 bus uerfetur logica, & quas partes habeat, ex ipso  
 Aristot. ostendemus. Versatur logica circa argu-  
 mentationem. Ego autem hic intelligo argumen-  
 tationem, id quod Græci λόγος dicunt, & nil  
 aliud sit subiectum logices, quā argumentatio,  
 ut non malē definiiri possit. Logica scientia, quæ  
 in explicanda omnis philosophorū orationis na-  
 tura, partibus ac proprietatibus cernitur. Quod  
 autem huiusmodi sit logica, id ex Arist. ostēdi po-  
 test. Primum enim scribit Aristoteles. 8. & 10.  
 cap. 1. de demonstratione, non esse infinita ea quæ  
 de altero dicuntur seu attribuuntur: idq; tum lo-  
 gicē, tum analyticē demonstrare posse ostendit: ac  
 logicē demonstrare nihil aliud esse dicit, quā in  
 omni genere attributorum ostendere non esse infi-  
 nita attributa. Analyticē autem demonstrare est  
 in his tantum attributis, quæ per se, ac necessariō  
 insunt: ob idq; ad demonstrationem pertinet ostē-  
 dere non esse infinita attributa. Item cap. 5. & 20.  
 lib. 1. de demonstratione probat Aristoteles nō esse  
 infinita

infinita ratiocinationum principia: idq; tum logi-  
 cē tum analyticē demonstrare posse ostendit. Ac  
 quidem cum logicus probat, ostendit in omnis ge-  
 neris ratiocinationibus siue ueris siue falsis, non  
 inesse infinita principia: cum uero analyticus pro-  
 bat, in demonstrationibus tantum ostendit nō esse  
 infinita principia. Item. 7. primæ phi. cap. 4. cum  
 de definitione disputat: dicit primum logicos de de-  
 finitione tractare, ob idq; definitionem non ut rem  
 quandam, sed ut orationem considerat: & quia  
 quarum attributionum sit definitio quarum non  
 sit: cum propriē ad logicam Categoriae pertineat,  
 illo in loco disputat. Postremō idem Arist. 1. rhet.  
 cap. 2. logicos syllogismos appellat eos, qui eo mō-  
 do facti sunt: quo logici est, concludēdi rationem  
 docere. Ex quibus locis facillē est intelligere, hoc  
 distare logicam ab analyticā, quod analytica in  
 demonstratione, logica autem omnino in argu-  
 mentatione explicanda uerfetur: ita ut multo la-  
 tius pateat logica, quā analytica. Cum logica ea  
 considerat, quæ quomodocunq; de altero dicuntur,  
 & syllogismos tam ueros, quā falsos. Analytica  
 autem ea quæ tantum per se & necessariō attri-  
 buuntur, & demonstrationes tantum consideret.  
 Sed nec tantum argumentationem considerat lo-  
 gicus,

logica ad omnia  
 littera distat

gicus, sed & definitionem, & diuisionem, atque  
 adeo omnem philosophorum orationem, quatenus  
 logicus est, tractare debet. Quod si queratur, ubi  
 hanc Arist. & in quibus libris docuerit, Nos in  
 multis libris logicen explicuisse Aristotele respō  
 debimus: Si uerum est, quod in eius uita scribit  
 Laërtius. Scripsit enim Aristot. de generibus,  
 & formis librum unum: item unum de proprijs  
 scripsit & separatim de ratione definiendi: itē  
 & de diuisione. Deinde & octo libros methodico  
 rum scripsit Arist. qui omnes si extarēt, nō du  
 bitaremus, ubi & quam perfecte logicen explica  
 uerit Arist. Nunc autem in ijs qui extant libris  
 eos tantum libros numerare possum, in quibus lo  
 gicen tractauit Aristoteles. Vñ categoriarum,  
 unum item de interpretatione, duos de priori dis  
 solutione: item duos de posteriori, cum interim  
 priorum & posteriorum libros, uel ipso Arist. te  
 ste, ad analyticen pertineant. Quo fit, ut logicas  
 partes, si quis requirat, eas ego dicam, esse tan  
 tum duas: Analyticam, & eam, quæ tum proposi  
 tiones, tum uerba simplicia docet, ita tamen, ut po  
 sterior hæc ad priorem illam referatur. Huius  
 autem artis finem esse dicemus cognitionem o  
 mnis, qua philosophi utuntur, orationis: Analyti

ces

ces autem proprius finis erit scientia demonstra  
 tiua: ut, ipse Arist. in initio prioris resolutionis, in  
 quit. Primum dicendum circa quid & de quo est  
 intentio, quoniam circa demonstrationem & de  
 disciplina demonstratiua est. In hac oratione Ari  
 stoteles palam indicauit, finem Analytices esse  
 scientiam demonstratiuam. Nunc de dialectica di  
 camus, quam Stoici quidem à logica non distinxe  
 runt, cum interim uellent, partem philosophiæ es  
 se logicam. Plato autem multis in locis nomē dia  
 lectices à prima philosophia non distinxit. Scri  
 psit enim in .7. lib. de republica. Dialectica est me  
 thodus, quæ uia & ratione unamquamque rem  
 quid sit, quatenus res est, inquirat. Item in Philebo  
 scribit. Differēdi facultas est cognitio entis, quod  
 re uera ens est, in eodemque semper statu perma  
 nens. Huius Plato duas potissimum partes facit,  
 diuisionem & collectionem. Scribit enim in So  
 phista. Ac genera quidem distribuere, nec putare  
 eandem speciem quæ est diuersa, aut contrā eam  
 diuersam quæ est eadem, nunquid hoc dialecticæ  
 scientiæ esse dicimus? Item in Phædro. Dialectices  
 partem aliam esse dicit, quæ ea quæ multifariam  
 dispersa sunt, in communem unam ideam reuoca  
 mus: alteram, quæ contrā in species communem  
 alia

alia



aliquam ideam distribuimus quatenus rerum natura patitur. Arist. autem longe aliter uidetur esse dialectices natura, sed semper apud eum nomine Dialectices accipitur non pro cognitione alicuius rei, sed pro facultate quadam & arte probabiliter de quacunque differendi. Sed prestat ipsum Arist. huius sententiae testem adferre, quam multa ad hoc probandum congerere. Primum enim scribit Aristoteles lib. 1. de demonstratione. cap. 8 ad finem, haec uerba. Atque ipsa differendi facultas, non est sic definitorum quorundam, neque generis cuiusdam, non enim interrogaret. Item cap. 15 eiusdem libri ita ait. Si igitur probabiliter solique differendi modo ratiocinari uolumus, id tantum ut patet, considerandum est, si ratiocinatio est quam maxime probabilibus uerisimilibusque conficitur. Atque si per a b propositionem, quae quidem tamen si uere non uacat medio, uidetur tamen eodem uacare, ratiocinationem quispiam fecerit, is est ut ad differentem pertinet ratiocinatus: si uero non illo pacto, sed ad ueritatem ratiocinationes extruere libet, tum id considerandum est, ut ex hisce quae competunt, ratiocinatio semper conficiatur. Praeterea lib. 1. top. cap. 12. inquit. Ad philosophiam igitur, secundum ueritatem de his negotiis

gotiandum: Dialectico autem modo, ad opinionem. Insuper lib. 1. Elench. cap. 10. scribit. Amplius affirmare, uel negare qui postulat, id non monstrantis est, sed experimentum sumentis: nam tentatiua, dialectica quaedam est, quae propter de omnibus inspicit, & explorat non scientem sed ignorantem, atque simulantem. Qui igitur secundum rem considerat communia, dialecticus est: qui autem id apud parenter facit, Sophisticus. Rursus cap. 11. eiusdem lib. ita scribit. Nunc autem non est dialecticus circa genus aliquod determinatum, neque demonstratiuus ullius. Et paulo post eodem cap. Quare manifestum quoniam nullius determinati tentatiua disciplina est, eo quod de omnibus est. His accedit, quod ipse lib. 2. Elench. ea sepe repetens quae in initio top. scripserat, inquit. Praemisimus igitur, inueniendi facultatem quandam ratiocinatiua de proposito exiis quae sunt quam probabilissima, id enim opus est dialectices secundum se & tentatiuae. Item lib. 1. Rhet. cap. 1. inquit. Rhetorica dialecticae aequi pollet: nam de iis utraque est, quae omnium quodammodo communia, & nullius determinate scientiae esse cognoscitur. Et paulo post ita inquit. Quod igitur non sit unius cuiusdam, ac determinati generis rhetorica, sed sicut dialectica, & quod utilis, expositum est. Et

ca. 2. eiusdē lib. ita ait. Particula enim dialecticæ quædā est ad simulachrum, ut principio diximus. Neutra tamē earū de re determinata quomodo se habeat scientia est: sed facultates quædam sunt inueniendarum rationum. Et paulò post. cap. 4. in hunc modum inquit. Si quis autem aut hanc, aut dialecticam non ut facultates, sed ut scientias instruere, ac docere conatur, is naturam earum hoc transitu interimere uidetur, cum non solum in orationis, sed in quarundam subiectarum rerum scientias redigat. Item lib. 1. physicae auscultationis cap. 2. inquit. Nam ut geometriae non est ad eum ratio, qui geometriae principia tollit, sed aut ad aliam scientiam attinet, aut ad communem omnium facultatem. Et lib. 4. primæ philo. cap. 2. scribit. Signum autem est, quod dialectici, & Sophistæ eandem quidem, quam philosophus subeunt figuram: Sophistica enim, apparens solum sapientia est. Dialectici quoque de omnibus disputant: ens uero commune omnibus est. Et cap. 3. lib. 11. eiusdem libri ita scripsit. Dialectica uero & Sophistica, de ijs, quæ accidunt quidem entibus sunt, uerum non prout entia sunt, nec circa ipsum ens, prout ens est. His sententia Galeni adiungenda est, qui lib. 2. de Hip. & Plat. placitis in hunc modum scri-

scripsit. Verum ab initio erat hoc in libro propositum, quatuor sumptionum differentias ostendere. Vocabam autem primum ipsorum genus scientificum, ac demonstratorium; secundum uero exercitatorium, & ut Arist. nominauit dialecticum: tertium probabile, & rhetoricum: quartum, sophisticum: demonstrauitque nonnullas ab ijs quæ cordi insunt acciduntque, constitutas in sola ipsa re de qua est quaestio, ex genere scientificarum esse sumptionum, alias uero omnes dialecticas, quæ ab externis testibus petuntur, rhetoricas, quæ æquiuocationibus quibusdam, aut dictionis figuris construuntur, sophisticas. Quapropter scientificæ in singulis rebus omnino pauca, & faciles numeratu sunt: exercitatoriam per multas. Hæc Gal. Ex ijs igitur omnibus locis facile elicitur, materiã dialecticæ, res quidem omnes, quæ in disputatione incidere possunt, esse. Nos autem id ipsum hac ratione confirmare possumus: Dialectica aut in nullis rebus uersatur, aut in certis, aut in omnibus. In nullis rebus eam dicere uersari, amentia est, cum ars isto pacto & incertitia idem ualeret. Si in certis uersetur, quæ tandem ille erit Grammaticæ ne? at id nemo concedet. An arithmeticæ? astrologiæ? musicæ? geometriæ? Multo minus. Quod si artes singule, in suis quæque & in

uniuersa in omnibus rebus cernantur, & Dialectica certas sibi res propositas habeat, in omnibus uersetur necesse est. Atque id nomen ipsum indicat. Dialectica enim omnino dicitur, nullumque genus rei nomine suo complectitur, ut ferè omnes complectuntur, quæ in certis rebus uersantur. Nam & arithmetica numerum, & astrologia astra, & geometria terram, & physica naturam, ceteraq; certa genera quæ proposita habent, complexu suo continent. Dialectica igitur ex cõmunibus artium omnium principijs in aliqua re concludenda, progrediatur necesse est. Finis autem ipsi dialecticæ propositus, est probabilis conclusio. Hinc Aristoteles libro primo topicorum capite secundo hæc scripsit. Nam ex proprijs secundum propositam disciplinam principijs, impossibile est dicere aliquid de ipsis, cõ quod primò principia sunt omnium: per ea uerò quæ sunt circa singula, probabilia, necesse est de illis transigere. id autem proprium, maxime peculiare. dialecticæ est. Neque est, quod obijcias, si finis dialecticæ est probabilis conclusio, semper igitur probabiliter concludet. Huc enim respiciens Aristoteles per ea quæ prædictæ orationi continua sunt, docebit te id, hunc in modum scri

scribens. Habebimus autem perfectè methodum, quando perinde habebimus ac in rhetorica, & medicina, & huiusmodi facultatibus: hoc autem ex ijs quæ contingunt facere quæ elegimus. Nam neque rhetor omni ex modo persuadebit, neque medicus sanabit: sed ex ijs, quæ contingunt, nihil omiscrit, sufficienter cum disciplinam habere diximus. Hanc etiam sententiam ipse Aristoteles libro primo rhetoricæ capiti primo. ad finem docet. Ex ijs igitur, quæ dicta sunt, facile est intelligere, quomodo logica à dialecticæ distinguatur, & quænam utriusque materia, ac finis sit. Logica enim scientia quædam est, quæ certum subiectum habet, nempe argumentationem. Dialectica autem non est alicuius rei scientia, sed tantum facultas quædam differendi. Quoniam autem logica non, hanc aut illam orationem constitutat, sed omnino orationem, fit, ut ad omnes, quæ oratione utuntur, artes, ea possint accommodari, de quibus in communi disputat. Quæratio est, cur Aristotel. libro primo rhet. non modò dialecticæ, sed etiam rhetoricæ partem esse Analyticam doceat. Quoniam enim & dialecticus, & rhetor ratiocinationibus utuntur, Analytica autem est, quæ de ratiocinationibus tractat, fit necessariò, ut qui

B a per

perfectus dialecticus, aut rhetor futurus sit, hactenus analyticen sciat, quatenus de syllogismo in cōmuni, quomodo, & quando necessario concludat, ipsa analytice docet. At hæc sufficient ad consuetandum manifestissimum hunc errorem, cum Arabum, tum recentiorū, nec plura desiderabūt, qui ueritatem ex animo amant, reliquos qui iam in eo errore tanquam ad sirenios scopulos conseruerunt, nil moror, quando istis ne dii quidem diuersum persuadebunt.

## ERROR SECVNDVS.

Errant dialectici omnes topicen Aristotelis scientiam esse credentes.



Irari profecto satis non possum, quo pacto magna Dialecticorum nostri temporis pars, in eam deuenerint sententiam, quod Arist. topicen scientiā esse crediderint: cum tamē id nullius Græci authoris autoritate, neq; ratione aliqua ualenti ratum sit. Non enim uideo Arist. aliquid per demonstrationem, per quam scientia omnis acquiritur, concludere: quemadmodum ipsum facere satis animaduertimus,

aduertimus, in libris de priori & posteriori resolutione. Vnde credendum erit, facultatem quamdam differendi, & non scientiam esse. Et quauis in superiori capite, summis (ut aiunt) labijs attigimus, in presentia id ualentius ostendere conabimur: ut ueritas huius rei plenius clucescat, & ueritatis amatores ambiguitati nullum deinceps locum relinquunt. Primum id præmittendum est, opinionem de eadem re simul cum scientia esse non posse, ut Aristoteles libro 1. de demonstratione cap. 26. plenè ostendit. Cuius sanè rei aliquot rationes adducit, ualentiores hic scribendas mihi propositum fuit. Omnis scientia in rebus necessarijs, ijsq; uniuersis cernitur: nulla opinio in rebus necessarijs, ijsq; uniuersis cernitur: nulla igitur opinio scientia est. Propositionē satis superq; in lib. de demonstr. & alijs mille locis decantauit Aristot. Assumptionem in hunc modum probat: opinio uersatur circa id quod uerum falsūue esse potest: ut ait Arist. lib. 3. Ethic. cap. 2. & libro. 3. de anima cap. 3. igitur non circa necessaria. proinde opinio scientia non erit. Deinde omnes potentiæ ratione obiectorum distinguuntur, ut lib. 2. de anima. cap. 2. & 3. ait Arist. sed obiectum opinionis est incertum. scientiæ uerò certum (constat enim scientia

1. post. 26

B 3 ipsa

1. post. 6.  
7

ipsa ex perpetuis) opinio igitur & scientia non sunt idem. Aliam rationem scribit Aristoteles libro secundo Mag. Mor. capite sexto in hunc modum. Nulla scientia potest eijci, & intercidi, atqui opinio id præstat, opinio igitur scientia non erit. Quibus Aristoteles hæc adiunxit. Eadem de opinione fuerit oratio: nihil siquidem refert, sine opinio, an scientia. Nam si uehemens fuerit opinio, quatenus stabilis est, & credulitate inconcussa, & scientia non differt, credendo ita habere, ut existimant, si habeant opiniones, sicut Heraclitus Ephesius talem habuit, de quibus opinabatur, opinionem. Hæc Aristoteles. Vide igitur quomodo scientia & opinio coincidunt, & eadem oratio de illis habeatur. Plures rationes ad id ostendendum adducerem, ueram quia res perspicua est, maiori probatione non indiget. Age igitur, ostende rationes, quare Aristotelis topica non sit scientia. Audi, & id tibi paucis præstabo. Nulla scientia uersatur circa opinionem: atqui topica Aristotelis uersatur circa opinionem, topica igitur Aristotelis non est scientia. Maior propositio constat ex ijs, quæ in retro dictis demonstrauimus. Assumptionem habet Aristoteles libro primo de priori resolutione, cap. 31. quo in loca hæc dixit.

Ad

Ad dialecticos autem syllogismos, ex propositionibus quæ sunt secundum opinionem. Et cap. duodecimo. lib. primi top. hæc ait. Ad philosophiam igitur, secundam ueritatem de his negotiandum: Dialectico autem modo, ad opinionem. hæc ille. topica igitur non erit scientia. Item nulla scientia fit ac acquiritur ex probabilibus, omnis ars topica Aristotelis constat ex probabilibus, topica igitur scientia non erit. Propositio perspicua est ex capite secundo libri primi de demonstratione, ubi ex ueris & necessarijs docet Arist. demonstrationem esse conficiendam. Assumptio clara est, ex Arist. lib. 1. top. cap. 1. ubi dialecticum syllogismum ex probabilibus fieri, ait. Non erit igitur topica scientia. His accedit, quod Aristoteles lib. 1. de priori resolutione cap. 12. inquit hæc uerba. Disciplina autem, & syllogismus demonstratiuus, ex infinitis quidem non est, eò quod inordinatum medium: tantum Aristoteles. Ex quibus uerbis ita colligo. Medium in lib. topicorum est incertum, quoniam probabile, de libris igitur topicorum nulla disciplina aut syllogismus demonstratiuus habebitur. Ad de, omnis scientia sibi acquirit certum ac præfixum subiectum: ut Arist. lib. 1. de demōst. cap. 23. ostendit. topica facultas huiusmodi non est, quemadmodum

Idem cap. 1  
li. 3. metap.Adde in to  
picis nō uti  
tur literis

abecedarijs

B 4 com

Vide ca. 31  
lib. 1. prio.

copiosius & efficacius errore primo explicimus: topica ergo Arist. scientia non erit. Quibus adiunge, Arist. perpetuo cum occasio sibi datur, ad libros top. ablegandi, eos facultatem differendi non raro appellat. Quid multa? Nonne omnis scientia demonstratione acquiritur? ubi ergo Aristoteles illam in libros top. concinuit? aut ex ijs, que ibidem docuit, quis eam conficere ualebit? Hinc igitur ueritatis studiosi cognoscant topica Aristotelis, non esse scientiam. Caterum per topica, non solum libros illos octo dialecticos intellegas, sed & libri de sophisticis elenchis, de sophisticis, siue propositionibus, siue axiomatis, siue rationibus malis dicere, nihil enim ad presens institutum interest, intelligendi sunt. Nomine enim topicorum illos omnes nos posse intelligere in sequentibus docuimus. Omnia etiam loca, que superius adduximus ad ostendendum dialecticam non esse determinati generis, probant dialecticam, seu Aristot. topicen non esse scientiam. Hinc est, quod Arist. lib. 1. de anima cap. 1. Definitiones Dialecticas uanas ac futes esse, dixerit. Hinc est etiam, quod idem Arist. libro secundo ethi. corum ad Eudemum dicat. Hec autem contra deceptiones artium dialecticas adferuntur. Quocirca ex ijs, topicen

topicen scientiam non esse manifestum est. Caterum ne nomine scientie decipiamur, cum uarijs modis accipiat ex Arist. sententia, illud uidentum, qua significatione dialectica à numero scientiarum rejciatur. Primum enim cognitionem ex causis significat. Hinc Arist. lib. 1. de demonstr. cap. 2. dixit: Scire autem arbitramur unumquodq; simpliciter, cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est. &c. Hec uero aut demonstratione aut definitione acquiritur. Eam demonstratione acquiri docet Arist. lib. 1. de demonstra. & 6. eth. cap. 3. definitione autem lib. 2. de demonstra. Hinc libro primo cap. 2. dixit. Si quis igitur sit alius sciendi modus, posterius dicemus. Scientia secundò significat cognitionem communem, unde Aristoteles libro primo phy. cap. 1. in hunc modum dixit. Cum circa omnes doctrinas, quarum sunt principia, cause, uel elementa, ex horum perceptione cognitio fiat atq; scientia. Tertio significat quancunq; cognitionem, cuius Arist. lib. 1. prime phi. cap. 1. dicebat. Omnes homines natura scire desiderant. Primo igitur modo ex Arist. sententia docuimus, dialecticam non esse scientiam, alijs uero nihil obstat, quo minus scientia appellatur. Plura addere possem, ut nostram hanc ueram

sententiam comprobaremus: sed hæc puto, suffi-  
cient, quò ueritatis studiosi ueritatem cognoscant.

## ERROR TERTIVS.

Hallucinantur nostri temporis dialectici,  
Quò differentiam inter logicam & dia-  
lecticam planè ignorarunt.

**E**T si in primo errore ueram differen-  
tiam inter logicã & dialecticã inueni-  
mus, hic latius de hac re agemus, pro-  
pterea quòd recentes dialectici parũ  
accurate discrimen illud considerantes, in mille la-  
queos inciderunt. Perionius, uir sanè doctissimus  
lib. 1. suæ dialecticæ inquit in hunc modum. Nam  
in ijs quos habemus nomen logicæ me legisse non  
memini, sed solum logicas ratiocinationes, idèq;  
in primo libro de arte rhetorica, pro dialecticis.  
Quocirca utroq; nomine in eadem re utamur li-  
cet, nisi forè standum Laërtij iudicio paramus.  
hæc ille. Quòd ait Perionius: Nomen logicæ se-  
mel tantum in ijs libris, qui modò Arist. extant, re-  
perisse: miror certè memoriam huius hominis,  
qui cum interpres Aristot. esset, uerbi logicæ non  
memi-

meminerit. lib. enim 1. top. cap. 9. & 12. Quæstio-  
nes logicas dixit. Et lib. 2. de gener. animalium  
cap. 6. hæc ait. sed fortasse uerisimilior ijs demon-  
stratio logica illa uidebitur. Logicam appello,  
quia quo uniuersalior, eò remotior à proprijs prin-  
cipijs. & in multis alijs locis. Quòd etiam dixit, 2. Eth. ad  
nomine logicæ & Dialecticæ in eadem re nos Eudemũ et  
posse uti, id falsum est: propterea quòd logica hæc 20. & 18.  
bitus est animæ per demonstrationem acquisitus, cap. 1. post.  
Dialectica uerò, actus qui ex habitu prouenit. Et 8. cap. 2  
Hinc illa scientia est, hæc facultas quædam disse- Et cap. 1.  
rendi. Illa unum lib. Categoriarum, unum item de lib. 5. top.  
interpretatione, quatuor de resolutione habeat, & cap. 5.  
hæc octo libros de locis probabilibus, ac duos de lib. 8. top.  
locis apparentibus contineat. Multũ igitur inter-  
est, an nomine logicæ, an dialecticæ utaris. Hunc  
errorem habuit etiam Petrus Ramus lib. 1. suæ  
dialecticæ. in hunc modum scribens. Dialectica  
uirtus est differendi, quòd ui nominis intelligitur:  
διαλεκτικῆς enim, unde dialectica nominatur, &  
differere, unũ idemq; ualent: idemq; est disputare,  
disceptare, atq; omnino ratione uti: hoc primum  
est huius artis nomen: postea uerò logicæ, eadem  
tamen significatione dista est. hæc tamen Ra-  
mus. In quam sententiam uenit etiam Taleus  
in

in prælectionibus ad illum locū. Quis itaq; tā stupidus, qui non uideat hic cæcutisse Ramum, & Taleum, ac logicam cum dialectica non sine magna ignauia confundisse? cum tamen logica sit longè diuersa à facultate differendi. Subscribit ijs Petrus Victorius in commentarijs ad lib. 1. Arist. de arte dicendi, ita iniquens. Logicam autē appellari, rationem omnem differendi, notum est. Quòd si Cicerò in principio suorum topicorum dialecticam definiens, rationem diligentem differendi, nomine Dialecticæ logicam etiam complexus est, à uera Arist. sententia deuiare non dubito. Quod ipsum fecisse mihi uidetur, cum dictis subiunxerit: illam facultatem differendi duas habere partes, unam inueniendi, quam dialecticam uocamus; alteram iudicandi, quam logicam dicimus. Ratio enim diligens differendi solùm Dialecticæ accommodari potest: ipse autem & dialecticæ, & logicæ applicuit. Neq; obijciendum est, logicam sine inuentione non posse iudicare, quoniam Arist. & inuentionem & iudicium simul docet, ut ex libris logicæ manifestum est. Boëtius etiam communem omnium sententiam habuit, in enarratione ad illum locum Ciceronis. Laurentius etiam Valla libro tertio suæ dialecticæ cap. 44. eandem sententiam ueram esse

esse asseruit: quibus adiunxit hanc facultatem primam ab Arist. logicam fuisse appellatam. His quoq; assentitur Ioanes Nouiomagus in suis scholijs Dialecticæ Trapezuntij adiectis, in hunc modum dicens. Quin & logicen idem author accipit pro ea probandi ratione, quæ è communi sensu & dialectica sumitur. Et paulò post. Quare solū illud hic perpetuum esse potest, elegatioris lingue scriptores sæpius dialecticis, quam logices uocabulo uti. Hæc ille. Hoc etiam errore ipse Trapezuntius est reprehendendus, & Iacobus à Contreiras Lusitanus quidam, apud Conimbricenses professor philosophiæ meritissimus, in scholijs in Trapezuntium. Item Eligius Vergerius in principio suæ dialecticæ eandem quoque sententiam habuit. Item Georgius Valla Placentinus in libello de expedita ratione argumentandi. Item Petrus Mosellanus in eiusdem Categoremata ac categoriis scholia. Nolo uerba horum authorum adducere, ne in imensum nostra crescat oratio. Sat est eorum nomina & loca citare, ut studiosi facillè sententias prædictorum authorum inuenire queant. Georgius etiam Pachymerius in principio suæ dialecticæ idem quoq; arbitratus est, qui cum antiquior alijs esset, fortasse occasione errandi ceteris præbuit.



buit. Subscribit ijs, Petrus Ioannes Nunsius in li-  
 bello de constitutione artis dialecticæ. Item Lodo-  
 uicus Viues lib. 3. de causis corruptarum artium  
 eandem quoq; sententiam habuit. Insuper Rodol-  
 phus Agricola lib. 1. de inuentione Dialecticæ  
 per multa capita, atqui eius dilucidator Ioannes  
 Mattheus Phrissemius in idem quoq; uenerūt. De  
 nique omnes Dialectici recentis dialecticam &  
 logicam idem esse existimarunt, quos omnes hic  
 recensere operosum nimis esset, sat est, ex ijs, quid  
 alij uelint, intelligere. Videant iam ueritatis ama-  
 tores quot difficultates, & quidem inexplicabiles  
 occurrant Dialecticis, iuniorum placita sectanti-  
 bus, hi enim non modò à Cræcis, sed à seipsis quo-  
 que dissentiūt. De quibus si mihi in præsentia spe-  
 ctaretur sermo, longius digrederer, quam materiæ  
 dignitas postulat. Proinde si ueritatem rimari est  
 animus, legenda sunt, quæ primo errore diximus,  
 quod & hic facilius comprobabo. Primum, Dia-  
 lecticam solum dici de libris topicorum, & Elen-  
 chorum manifestum est, si perpendamus loca non  
 pauca Arist. qui quando aliquid docet se in dia-  
 lecticis dixisse, nullus locus reperietur, qui intelliga-  
 tur, in præd. aut lib. de interpretatione, aut lib. de  
 resolutione, sed Topicorum aut Elenchorum li-  
 bris.

bris. Et ut ex multis aliquot in medium afferam,  
 hinc erit initium. Arist. lib. 2. rhet. cap. 24. inquit *Vide cap.*  
 hæc uerba. Ad hæc, sicut in contentiosis penes sim *31. 1. pri.*  
 pliciter, & non simpliciter, sed quoddam fit appa-  
 rens syllogismus, ut in dialecticis, quod non ens,  
 est. Hæc Arist. Meminerat autem Arist. illius Som-  
 phismatis lib. 1. Elench. cap. 4. Item lib. 1. rhet. cap.  
 3. sub eodem nomine libros top. citauit. Quod si  
 hæc ueræ sunt, aut ego solus mortalium deliro: &  
 illi sunt sapientes: aut ego solus sapio, & illi omnes  
 delirant. Quis igitur index erit? Aristot. sanè.  
 Atqui cum ex sententia Arist. ostensum sit dialecti-  
 cos libros esse Topicorum & Elenchorum: ea igi-  
 tur erit Dialectica, quæ penes materiam illorum  
 librorum uersatur. His accedit, quod Arist. Dia-  
 lecticam non scientiam, sed facultatem differendi  
 appellet. Logica autem scientia est, non itaq; lo-  
 gica dialectica erit. Quod aiunt rarò Aristotelem  
 meminisse nominis logicæ, non rarò dialecticæ,  
 id (quæso) quid concludit: nihil aliud, quam Diale-  
 cticam omnibus scientijs inferuire, & illa omnes  
 uti ad aliquid probandum. Aut ubi Arist. sepe dia-  
 lecticam nominat, nisi in rhetorica? quoniam  
 hæc & illa idem facere uidentur, ut ipse ait. Non  
 uerò de logica dicitur idem declarare, quod  
 rhetora

*Vide. 3. me  
 taph. cap. 1*

rhetorica. Imò hoc ipsum ostendit dialecticã planè à logica differre. Idq; erit notum ijs, qui libros rhet. legerint. Ex ijs itaq; satis constat, inter se differre logicam à dialectica: quod non animaduertentes etiam magni nominis uiri, lapsi sunt, & inter Græcos non pauci hæc duo confuderunt.

## ERROR QVARTVS.

Errat infantiliter planè Audomarus Taleus, quod definitionem Dialecticæ omisissam Arist. fecisse crediderit.

**T**Aleus in prælectionibus, quas Ramo subscripsit, in hunc modum inquit. In libris organi logici generalis Dialecticæ definitio desideratur, cum tamẽ sit in præceptis dialecticis positũ, & inter omnes philosophos antiquos conueniat, ut in omni legitima institutione & doctrina res primũ, de qua agitur, quid sit, explicetur, sicut in Phæd. Socrates admonet. Hactenus uerba Talei bona fide recensimus. Ex hoc errore iudicabunt omnes, parum esse credendum uerbis huius hominis, & quã stultè Aristotelem maledictis incesserit. Inquit,

opor

oportere, definitionem omni legitima institutione esse prius collocandam, quod fecisse Aristotel. uel cæcus iudicabit. Idq; fecit in primis uerbis suæ <sup>1. top. 1</sup> dialecticæ in hanc sententiam dicens. Propositum quidem negotij est methodum inuenire, per quam poterimus syllogizare de omni proposito problemate ex probabilibus. Hoc quid est, nisi dialecticæ definitio? Dialectica enim est methodus, qua possumus ratiocinari de omni problemate dialectico ex probabilibus. Age igitur Taleus, uide quã ineptè Aristot. reprehenderis, cum tibi liceret, Aristotelis doctrinam intelligere, sed quia hoc facere non potuisti, Aristotelem temerè damnasti. Proinde diligenter admodum dialecticæ professionis candidati, ista animo perpendant, ne huiusmodi homines ceteris garriendo, iactando, mentiendoq; decipiant, qui que famam nouitate aliqua, atque hoc pacto, omnes fallere, negotiari student.

## ERROR QVINTVS.

Lapsus est Nunsius, modum sciendi ad partem analyticam logicæ esse referendam, credens.

C

Arist.



Rist. libro secundo prima phil. cap. 3 in hunc modum scribit. Quapropter oportet institutum esse, quomodo singula admitenda sunt, quoniam absurdum est simul scientiam, & modum scientiæ quærere. Latini Auerroem secuti, modum sciendi de tota logica arte interpretantur, quod non placuit Nunefio, ideo nouam excogitans enarrationem, nõ de tota logica, sed solum de analytica illud esse intelligendum dixit. libello suo de constitutione artis dialecticæ. Idq; nescio quibus friuolis argumentis, seu potius pigmentis probat. Ego crederem scientiam Alexandri, eo loci ueram esse, quoniam uerbis Aristotelis nimis accommodatur. Arbitratur igitur Alexander, hoc tantum esse, ac id quod præcipit libro primo Ethicorum capite tertio. ubi inquit, periti hominis esse exactum ipsum eatenus in unoquoq; genere flagitare, quatenus fert ipsius rei natura, nosseque quo quisque modo præcepta debeat audire. Modus igitur sciendi, est cognoscere, quo pacto in quavis scientia rationes sunt petendæ, quod inquit Aristoteles esse absurdum simul quærere & scientiam ipsam.

Error

## ERROR SEXTVS.

Aberrant nonnulli dialectici, & Aristotelis, ac rationi repugnant, subiectum logicæ ens rationis esse, credentes.



Ne quem nominis huius ambiguitas fallat: ignorantiaq; oriatur, quæ nõ raro accidere solet Arist. teste lib. 1. clem. cap. 2. illud admonitum uelim. Subiecti nomen in uariis significationes esse ductum. Dicimus enim subiectum (unde origo est nomini) id quod iactum est sub aliud: sic inferiora superioribus subiecta dicuntur, ut species generibus: unde Aristot. usitatum est loquendi genus, de subiecto aliquo dici. Hinc Virgilius dixit. Aeneidos. 2.

Pedibusq; rotarum, subijciunt lapsus.

Et per translationem dixit. Aeneidos. 6

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Itæ accidentibus substantiæ subiectæ dicuntur. Hinc illud Arist. in præd. in subiecto esse dico. Iã in pronuntiatis subiectum est de quo aliquid dicitur, ut cum dicimus. homo est animal: homo est subiectum. Dicimus etiã id, circa quod tractatus, actioq; rei cuius spîa uersatur, quod & materia solet appellari: in præsentia autem nobis sit subiectum hoc ultimo mo-

C 2 do

do usurpatum. De quo ad fastidiū in cuiuslibet libri exordio scribūt recentiores, multa perperam quasi Aristotelica consingentes, ab Arist. mente penitus aliena. Quæ cum sint alio in loco à nobis declarata, aliqua quàm breuissimè in præsentia perstringam, ut quodnam sit uerum logicæ subiectum cognoscatur. Primum igitur subiectum circa quod aliqua scientia uersatur, ens debet esse: id enim quod non est, nemo scire potest quid sit: sed tantum quid aut oratio aut uerbum significet: ueluti quid significet Tragelaphus intelligi potest, quid sit ipse Tragelaphus non potest. uerba sunt Arist. lib. 2. de demonstr. cap. 7. Deinde habeat causas: ut Aristoteles docet lib. quarto primæ phi. cap. 1. Tunc enim planè ac perfectè rem scire quisque censetur, quando causam propter quam res est, ita ipsius rei causam esse cognoscit, ut non posse omnino rem alteram habere credat. uerba sunt Aristotelis libro primo de demonstrat. cap. 2. & 2. phy. cap. 3. Item subiectum unum esse oportet. una enim scientia est, quæ est unius generis, ut inquit Arist. lib. 1. de demonstrat. cap. 23. His adiunge, quod habeat passiones, per quas illud subiectum probetur, ac demonstretur. Item debet habere subiectiuas partes: ut ait Arist. loco dudum cita-

ta

tato. & cap. 8. eiusdem libri. Omnia insuper, quæ in illa scientia, cuius est subiectum traduntur, ipsi subiecto per se attribuenda sunt: unde subiectum attributionis solet dici, quod ipsi omnia attribuantur. Quibus adde, in illa scientia, cuius est subiectum non probari, sed solum præsupponi: ut Arist. lib. 1. de demon. cap. 1. scriptum reliquit. Hinc est, quod Arist. lib. 1. de physico auditu cap. 2. aduersus Parmenidem & Mellissum arguens, in hunc modum scripserit. Considerare igitur si id quod est, unum sit, atq; immobile, non ad naturalem philosophum pertinet. Nam ut geometriæ non est ad eum ratio, qui geometriæ principia tollit, sed aut ad aliam scientiam attinet, aut ad communem omnium facultatem: sic & illi nulla est ad eum ratio, qui principia tollit. lib. etiam 8. eiusdem nominis cap. 3. ita inquit. Præterea, ut infirmitates principiorum in rationibus Mathematicis, non ad ipsum Mathematicum pertinent, in cæterisq; simili modo: sic neq; id ipsum refellere quod nunc est dictum, ad naturalem philosophum attinet: est enim apud ipsum hæc suppositio. Naturam principium motus esse. hæc Arist. Ex quibus colligitur, subiectum in quavis scientia esse supponendum. Si enim probaretur, id aliqua re clariori fieret. Quid autem

1. post. ca. 1

C 3

tem

2. meth. 2  
 & 6. eth. 2

tem clarium est subiecto? nihil sane. Oportet enim ipsum addiscendum, priusquam disciplinam preceptoris ingrediatur, ipsum subiectum presentire: ut multis in locis Arist. testatur. Quis nanque auditurus theologiam, nesciat, futuram disputationem de Deo esse: quis Medicinam, qui non corpora humana esse curanda credat: quis naturalem philosophiam, qui non causas omnium rerum, quae natura constant, esse perscrutaturus, ignoret? quis Arithmetica, qui amore numeros computandi, non accedat? quis Astrologiam, qui astra esse sibi non compertum habeat? quis geometriam, qui terram esse metiendam, sibi persuasum non habeat? At quid moror? in omni scientia id facili negotio reperies verum esse. Ah quid logica meruit quid mali fecit: aut in quo peccauit, quominus id priuilegium, quo aliae scientiae fruuntur, non habeat? Quod cum hoc rationi consonum minime euadat, uestrum o dialectici, ens rationis reijcite, illud iam in ora hominum afferre, non cogitatis. Hic igitur uos Aristotele considerate, quem admodum uestrum ens rationis resellatur: existimate potius Aristotelem uobiscum, quam me loqui. Qui si reniuisceret, uos profecto non solum castigaret ut discipulos errantes, sed ut grauiter offenso

jos

fos obiurgaret. Vos enim illi quem tantum, tam excellentem iure optimo esse multis, magnam profecto infamiae notam inuritis, ex cuius doctrina tam aniles nugae deductas esse fingitis. Nam quis unquam auditurus logicam, dixit se de ente rationis disputaturum? Quid obscurius? quas passionibus habet, quibus demonstratur? aut quomodo potest attribui partibus logicae? Sunt ne praedicamenta entia rationis? sunt futurae contingentia? sunt modi? est demonstratio? quas ergo partes subiectiuas habebit? Et quod magis miror, est, id ipsos uelle ex Aristotelis sententia comprobare. adducunt enim Aristot. locum ex lib. 4. primae philo. cap. 2 ubi haec inquit. Signum autem est, quod dialectici, et sophistae eandem quidem, quam philosophus subeunt figuram: sophistica enim, apparens solum sapientia est. Dialectici quoque de omnibus disputant: ens uero omnibus est. haec Arist. Inferunt illi in hunc modum: metaphysicus et dialecticus agunt de omni ente. atqui metaphysicus de ente reali, dialecticus igitur de ente rationis. Hic, precor, ue ritatis studiosi attendant, quoniam modo uno errore admissio, alterum concesserunt: etenim existimauerunt, Dialecticam esse scientiam, contra omnia Aristot. decreta. Inde subiectum Dialecticae

C 4

quae=

quererant: parum considerantes, dialecticam circa nullam certum genus uersari. Sensus igitur illorum uerborum Arist. hic est. Ars enim sophistica & dialectica in eodē genere atq; philosophia uersantur, ut quae nullum genus proprium ac determinatum habeant, quemadmodum geometria uel musica, sed omnes de ente considerent. Hinc est, quod Arist. lib. 1. top. cap. 2. dixit, Dialecticam utilem esse, ad omne philosophiae genus: scilicet metaphysicum, physicum, & mathematicum. Perrius diculum etiam est, ne dicam commentitium, & nefas, id quod Ramus Aristoteli in illo loco imponit: nempe Dialecticæ subiectum esse ens quatenus ens: cum nec dialectica circa aliquod subiectum uersetur, ut supra ex Aristotelis dogmatibus scripsimus. Nā undenam haurias uel purius, uel citius, uel iucundius, quam ab ipsis fontibus? neq; Arist. id unquam tibi dixerit: sed quod nos in retro dictis enarrauimus. Proinde caueant studiosi, ne uerbis huius hominis decepti, in uarios errores incidant. Quid enim stultius, quam magno labore discretae, quae postea maiori cogaris dediscere? Nihil autē facilius discitur, quam quod rectum, ac uerum est: at prava si semel inhererint ingenio, dictu mirum quam non possint reuelli. Verum igitur logicæ

sub-

subiectum argumentatio esto: quoniam huic omnia subiecti requisita conueniunt, si minutatim ea inquiras. Etenim argumentatio ens est: causas habet: quod faciliè intelliges, si singulas eius formas percurras: una, unius scientia est: rhetorica enim argumentatione utitur, sed ueluti instrumēto quodam ad sua obeunda munia: affectiones argumentatio habet: quippe concludere aut non concludere, ex argumentationis essentia proficiscitur: partes habet: in logica demum quid clarius? aut quid est in logica, quod argumentationi non attribuitur? hanc enim nobis natura instam esse Aristoteles cap. 1. lib. 1. rhet. & cap. 11. lib. 2. elench. scripsit: nihil igitur perspicacius in logica reperietur. Considerent deniq; doctores ac huius scientiae magistri, quanta in caligine uersentur ij, qui aliud subiectum logicæ accommodant: quantaq; in claritate perambulabunt, si hunc duce[m] sibi comparēt: & ut semel dicam, hac duce, nil in logica uisum, aut obscurum reperiet. Ceterum hęc doctrinam, rem esse aridā, ac exiguam, dixerit aliquis. Quid ita? Quia Lemosius, uir nondum annos uiginti quatuor nactus, illam nobis attulit. O me infelicem, si artes isto modo iudicantur! Annorum numerus quid propter senectutem parit? at natura,

C 5

110a

uoluntas, diligentia, & ordo sapientes faciūt: quæ si nobis adsint, scripta, dictaq; nostra testimonium de seipsis perhibebunt; gratiasq; ago domino Deo meo, qui hęc quælibetq; sint, nobis concessit, unde aliquid frugis ad studiosos peruenire possit, ad quorum quidem commoditatem omnia mea dirigo studia, directurusq; sum, quoad mihi per Dei misericordiam esse superstiti contigerit.

## ERROR SEPTIMVS.

Deiāt à uero Nunsius Valentinus, propterea quòd Marsilius Ficinus reprehendit, existimantem Dialecticæ nomine uocari à Platone Metaphysicam.

**N**unsius cōmentario de constitutione Dialecticæ in hunc modum scripsit. Marsilius Ficinus, ut supra docui, existimat Dialecticæ nomine uocari à Platone Metaphysicā, his locis credo deceptus, qui leguntur 7. de Republica. Quorum primus est, in quo docet, Dialecticam posteriorē esse mathematicis; Metaphysica autem talis est. Argumētum non ualeat, Nam etate Platonis Dialecticā post

post mathematicas docebatur, propter eas causas, quæ supra expositæ sunt. Secundus. Dialecticā sola sublati suppositionibus omnibus ad ipsum principium pergit: Metaphysica autē nil postulat, sed omnia principia cæterarum artium demonstrat. Necq; illud ualeat. Nam logica nihil etiam postulat, sed omnium artium principia confirmat, quæ admodum docet Arist. 1. topico, ca. 2. Accedit etiā huc, quòd præceptis & methodo Dialecticæ omnes artes constituuntur: sola uerò dialecticā se ipsa contenta est: quare uera est oratio Platonis, Dialecticam solam nihil postulare. Nam grammaticus cum definit suam artem, doctrinam bene loquendi postulat à Dialectico, bene ne an contrā diffiniuerit. Tertius locus. Dialecticā uelut pinna est proposita, nec ulla doctrina ulterius reperiri potest, sed hic doctrinarū omnium est finis: Metaphysica autem omnium artium extrema est: ergo Plato nomine Dialecticæ uocauit metaphysicam. Hic locus sic explicandus est. Propositū est Platoni, 6. & 7. libris de republica instituere philosophum: excepta autem philosophia docet, 7. lib. instructum esse debere primum mathematicis artibus, deinde Dialecticā. Quare meritò Dialecticā ultimam facit earum omnium artium, quæ discen

de

de sunt à philosopho, antequã philosophiã aggrediatur. Nam mathematicas ante Dialecticam doceri debere demonstrat. Quartus locus. Triginta annos nati duntaxat cautè admodum dialecticas argumentationes degustent: hæc autem ars logica uel à pueris disci potest, Metaphysica autè acrius iudicium postulat: ergo nomine Dialecticæ uideatur Metaphysicam intellexisse. Sed eo loco Platonem instituat perfectam rempublicam, nõ patitur adolescètes eam artem doceri, quæ eorum mores corrumpat: qualis logica est tota posita in contrariis partibus, nisi quis caueat diligenter, magna consequuntur uitia: quæ Socrates eo loco recenset: ut inconstantem esse, quosuis homines insectari, & refellere eos homines, qui alios cõsulant ac uno uerbo omnes scriptores labefactare. Quæ omnia apertè declarant, locum hunc non conuenire Metaphysicæ, quæ in otio & contemplatione rerum diuinarum tota uersatur, sed logicæ, quæ tota in disputando posita est. Hactenus uerba Nune si bona fide recitauimus. At nihil istis falsius dici potuisse, nemo, arbitrò, sanæ mentis est, qui nõ intelligat, quantum ex diametro cum Platoniorum placitis, ratione deniq; pugnet. Quare antequam

MOTO=

morosis istis rationibus satisfiat, ecce id Plotini testimonij comprobabimus. Plotinus lib. 3. Enneadis primæ cap. 8. in hunc modum scripsit. Quenã est Dialectica: quam oportet etiam prioribus adhibere. Est utiq; habitus, qui ratione de unoquoq; potest dicere quid sit unũquodq; et quo ab alijs differat, quouè conueniat. Præterea quomodo & ubi sit quodlibet: & si est, quid est: atq; entia quot sint: & nõ entia rursus, sed ab entibus alia. Eadem hæc & de ipso bono disputat & de nõ bono, & de his quæcunq; sub bono & quæ sub boni cõtrario, itè quid sempiternum, quid uel nõ semper. De omnibus inquã, nõ opinione, sed scientia tractans, ab errore qui circa sensibile accidit uacans, intelligibili prorsus adheret, circaq; ipsum diligèter agit, falso posthabito: nutriendum animã in ipso ueritatis cãpo, freta uidelicet distinctione Platonica ad discretionè idearũ specierumq; & ad quodlibet definitiõdũ, & ad prima genera, & quæ ex illis sunt intellectuuali textens & cõplicans ratione, quousq; per intelligibile totum progrediatur: Ac rursus resoluens in illud ad quod processerat ab initio. Tum demum quietem agens, utpote quæ quatenus illuc peruenit, quietem assequitur: haud ulterius circa plurima satagens, sed in unũ redacta prospicit eã quæ



quæ logica nominatur, circa propositiones syllogismosq; occupatâ, perinde ac si scribēdi notitiam alteri cuiadã arti concedat: quorum quædã necessaria, & artem antecedentia censet, iudicat uerô ipsa sicut & cætera: & alia quidem eorum utilia, alia superflua putans, & ad facultatem appetentem hæc pertinentia. Marsilius Ficinus in commentarijs ad hunc locum ita scribit. Per hæc omnia facultas progreditur metaphysica, quam Plato nominat Dialecticam, logica utentem in instrumentamento. Logica enim circa dictiones, cõceptus, propositiones, syllogismosq; uersatur. Pergit adhuc Plotinus cap. 5. his uerbis. Quid igitur philosophia? præstantissimum proculdubio. Sed nunquid idem philosophia atq; Dialectica? profectò philosophiæ pars præstantissima dialectica esse uideatur. Non enim existimandum est hanc esse philosophi instrumentum: siquidem non nudas propositiones respectusq; cõtinet, sed circa res ipsas uersatur, & quasi materiam habet entia: uia tamē ad ipsa progreditur, res ipsas unâ cum notionibus habens. Et cap. 6. hæc ait. Habet enim philosophia alias insuper facultates: nempe naturam etiã speculatur, auxilium à Dialectica sumens. At quid opus multis in re omnium apertissima? Quid, quæ

fo,

so, uerbis Plotini manifestius: quid apertius, quàm dicere Dialecticum non de opinione agere: at nostra dialectica quid uersatur, quod non sub opinione cadat? Et ut penitus obmutescere faciamus aduersarium, uerba ipsius Platonis audiamus, quæ lib. 7. de republica in hunc modum se habent. Dialectica est methodus, quæ uia & ratione unamquamq; rem quid sit, quatenus res est, inquirat. Itē in Philebo. Differendi facultas est cognitio entis, quod re uera ens est, in eodemq; semper statu permanens. Si itaq; hæc Platonis uerba sunt uera, ut certè sunt uerissima, consequitur Dialecticam à Metaphysica nihil differre. Nam si teste Aristotele Metaphy. circa ens uersatur, quod re uera ens est, & hoc ipsum Dialectica Platonis pertractat: Dialectica igitur Platonis, erit Aristotelis Metaphysica. Scribit enim Aristor. ad finem primi cap. lib. 6. ad hunc modum. Atque de eo quod est ut ens est, & quidnam sit, & ea quæ ipsi competunt ut ens est, ad hanc profectò scientiam pertinet contemplari. Item cap. 3. lib. 11. scribit. Ipsa nanq; naturalis facultas accientia principia: eorum quæ sunt ratione qua mouentur, non ut entia sunt, contemplatur. At primam scientiam istorum diximus esse ut sunt entia, & non aliud quicquam. At quid

opus

opus in re manifesta plus aequo uerbosum esse? Pergamus itaq; ad rationum Nunestij solutiones. Plato monet, Dialecticam esse mathematicis posterioriorem lib. 7. rep. Nunestius interpretatur locū hunc de nostra Dialectica esse intelligendum, propterea quod tempore Platonis Dialectica post mathematicas docebatur. Id uerum est, sed quid ad rem? Plato enim de metaphysica loquitur, ut constat ex eius uerbis, quæ in illo loco ita habentur. Haud secus cum quis ad differendum se confert absq; sensibus omnibus, ratione duntaxat ad ipsum quod est, quodlibet utitur: qui si non destiterit prius, quam ipsum quod est bonum, intelligentia ipsa perceperit, tunc demum ad finem intelligibilis ipsius ita peruenit, ut ille alter ad uisibilis finem ascendit. Omnino sic accidit. Nonne Dialecticā hanc progressionem uocas? Quid prohibet? Vides tu igitur o Nunesti, de qua Dialectica Plato sermonem faciat? Hæc si consideras, fortasse a ueritate tam longè non deuias. Hinc codè pæ de ceteris tuis rationes, seu maus locorum Platonis enarrationes, claudicare facile intelliges. Duo tamen quæ maiori reprehensione digna sunt, hic præterire non potui, unum scilicet, modò logicam, modò Dialecticam te adducere ad suam

stabi-

stabiliendam sententiam, cum constet, multum interest, an hac uel illa utaris. Quemadmodum cognosces ex superioribus erroribus, in quos tu etiā, cum multis alijs, incidisti. Alterum, de quo mirandum est, cum multa sint Platonis loca, quibus de nostra dialectica uidetur agere, illa non adduxisti. Atque ut ex multis aliquot scribam, Plato in Cratilo inquit, Dialecticum solum nosse interrogare & respondere. Quod cum Arist. lib. 8. cap. 1. artificio differendi tribuat, nemo dubitabit Platonem de nostra dialectica loqui. Item libro de ente ita ait Plato. Per genera diuidere, & neque eandem speciem alteram putare, neque alteram rursus eandem esse, nonne Dialecticæ officium esse dicimus? The. Dicemus profectò. Arist. autem lib. 6 top. hoc ipsum nostrā dialecticam præstare, memoriæ mandauit. Nomine igitur Dialecticæ non metaphysicā intelligemus. His & alijs id genus locis respōdet Marsilius Ficinus, uir nunquā sine honoris titulo nominandus, in argumentum ad Euthydemum Platonis, in hunc modum. Sed quia hic in artibus numerandis nominat Dialecticam, ne quorundam more dixerim dialecticem, nā dialectica mihi latinius sonat, meminisse oportet, logicam apud Platonem significare artem re-

ERRATA

D gulas

gulas nominum, orationum, argumentationumq;  
disponentem: Dialecticam uerò sagacem philoso-  
phantis indaginem, regulis his utentem ad ratio-  
nes rerum inuestigandas, diuinarum præsertim, à  
quibus rerum quoq; sequentium summæ rationes  
accipiuntur: ideoq; Dialecticam plerunq; apud  
Platonem theologiam nobis significare. Hæc Mar-  
silius. Sententia ergo Platonis est, Dialecticam  
aliquando pro metaphysica usurpari. id quod lo-  
ca ex 7. de republ. indicabant: plerunq; pro disse-  
rendi facultate, ut ex locis suprâ citatis, constat.  
Quod iterum Marsilius animaduertens ad finem  
argumenti in septimo de republ. hæc dixit. Tu ue-  
rò differendi industriam à forma quidem sua dia-  
lecticam nomina, ab exordio logicam, à fine me-  
taphysicam atque theologiam. Quare ut finem  
tandem faciam, errasse Nuncesium planum est, ui-  
rum alioqui doctissimum, & in Aristoteleca do-  
ctrina non parum uersatum.

## ERROR OCTAVVS.

Vera, & perfecta enarratio definitionis syl-  
logismi, aduersus omnes nostri temporis  
Dialecticos.

Aristo



Ristoteles ca. 1. lib. 1. de priori resolu-  
tione. Et cap. 1. lib. 1. top. Et cap. 1. lib.  
1. elencho. Et cap. 2. lib. 1. rhet. definit  
Syllogismum in hūc modum: οὐ λόγος

αὐτὸς ἂν λόγος. &c. Omnes quotquot sunt inter-  
pretes hæc uerba ita uertunt: Syllogismus seu ratiocinatio  
est oratio: ubi uerbū, oratio, genus syllogismi esse uolunt. Neq;  
considerantes quid apud Aristotelem, λόγος, sibi uelut: ut inde existimarent  
non bene per orationem syllogismus defini. Et  
ne nobis idem eueniat, significata uerbi, λόγος, ad-  
ducemus, quod apud Aristotelem multa significat,  
quibus animaduersis, ueram syllogismi genus re-  
periemus. Primum significat orationem, ut cap. 4.  
lib. 1. de interpretatione. λόγος ἂν ἴσθι &c. id  
est, oratio est uox &c. Item significat definitionē:  
ut cap. 1. catego. Et cap. 4. lib. 1. de interp. Et cap.  
7. lib. 2. de demonstratione. & in sexcentis locis.  
Significat etiam causam: ut cap. 2. lib. 1. de interp.  
Et cap. 3. & 8. lib. 2. de demonstratione. Sermo-  
nem quoq; significat: quæ admodum apud Porphy-  
rium cap. de genere, de tertio, ait, sermo est apud  
philosophos. Deniq; argumentationem, ut in præ-  
senti definitione syllogismi. Syllogismus enim ar-  
gumentatio est. Quid igitur: tu ne longè inferior

D 2 ris

ris nota? dicit aliquis, tantum tibi sumis, ut quod alij non uiderint, atq; ij oculatissimi, uidere te posse existimes? Ego uerò, minimè posse puto, cum possim id quod luce meridiana clarius est, uidere. Nam quid clarius aut quid communius in Aristotelis doctrina, quàm argumentationem genus syllogismi esse, sicuti & omnium specierum argumentationis? Quapropter, ne id nouum esse, aliqui putent, Aristoteli, ipsum adducemus, ut oes uideant & intelligant ueram Aristotelis sententiam, atque amplectentur eandem, ueluti ueram, & omnibus anteponendam. Etenim cap. 3. lib. 1. top. inquit Aristoteles hæc uerba: γίνονται μὲν γὰρ οἱ λόγοι διὰ τῶν προτάσεων. id est, uertit Boëtius & alij: sunt enim ex propositionibus orationes. Quid hoc monstrum nobis præsit? orationes quomodo ex propositionibus fiunt? Et quod magis admiror, est, aliquos ita uertisse, atq; postea in suis commentarijs dicere orationes, hoc est disputationes, ut aliqui intelligendo, nihil intelligerent: cum paulò post cap. 10. eiusdem libri, coacti uero orationis Aristotelis, idem uocabulum uerterent, per disputationem. Determinatis autem his (sit) oportet diuidere, quot Dialecticarum disputationum sunt species. Deinde cap. 3. lib. 8. top. inquit Boëtius: Est autem

inter

interrogantis quidem sic deducere orationem: disputationem dicendum erat. Et loco 63. Nam sine instantia uel que sit, uel que uideatur, prohibere orationem: aliàs disputationem. Et loco. 67. quecunque uerò orationum falsum syllogizant: melius disputationum. Item cap. 4. eiusdem libri. Est autem orationem prohibere concludi: aliàs disputationem. Et loco. 73. nam nihil prohibet orationem quidem prauam esse: quid oratio praua: aliàs argumentationem prauam. & loco 75. erit autem quandoq; oratio, melius disputatio. Et cap. 5. in principio. falsa autem oratio uocatur, falsa autem argumentatio, interpretandum erat. Et in mille alijs locis id uitij reperitur. Quod si hoc uerum est, cur dubitabunt professores dialecticæ studiosi, syllogismum esse argumentationem dicere: omnis namq; definitio per genus proximum debet dari: at quid uicinius argumentatione? Respondent aliqui, si non adest genus proximum, sufficere, remotum contrahi per differentias: ut monet Aristoteles cap. 3. lib. 6. top. id uerum esse fateor, si & proximum deficiat, & remotum optime inueniatur. Verum proximum non deficit, nimirum argumentatio, & remotum non habemus, quoniam oratio, ut non pauci arbitrantur, non est genus:

D 3

nam

2. elench. 3  
1. prior. 26  
& alijs.

nam si pro genere acciperetur, potius orationes,  
quàm oratio dicendum esset. Quòd si dicas, oratio  
nē esse coniunctione una, tota quoq; Homeri Iliās  
unus syllogismus esset, quippe quæ una coniunctio  
ne sit oratio, ut Arist. cap. 7. lib. 2. de demonstra-  
tione scripsit. et lib. cui titulum fecit poetica, idē  
iterum docuit. Neq; mihi placet eorum sententia,  
qui syllogismum per rationem definiunt, quia de-  
finitio syllogismi solum nobis indicat, necessitatem  
consequentis ab ipsis sumptionibus pendere, ratio  
uero ab una aut altera proficiscitur. Deniq; hac  
evidentissima ratione nostra sententia facile mu-  
nitor: omne genus remotum de coniuncto dici-  
tur: ut si definias hominem, per genus remotum: di-  
ces, homo est substantia animata sensibilis rationis  
capax, substantia de animali dicitur, quod genus  
coniunctum est: sed oratio, neque ratio de argumē-  
tatione dicuntur, cum argumentatio sit logica di-  
spositio, qua uno dato, alterum consequitur: ut  
ad Stoicorum mentem in uita Zenonis Laërtius  
refert. nullo igitur modo, neq; oratio neque ratio  
genus syllogismi erunt, sed ipsa argumentatio.  
Hinc Galenus lib. de historia philosophica in hūc  
modum syllogismum definiuit. Syllogismus est ar-  
gumentatio, quæ ex concessis ab eo, cum quo dis-  
putamus,

sputamus, inexpectatam conclusionem colligit,  
quemadmodum Plato in primo de repub. Thra-  
symacho concedente, iustum id esse quod magistra-  
tibus est utile: magistratusq; interdum aberrare,  
conficit Socrates, id etiam iustum esse, quod ma-  
gistratibus utile sit. Prima differentia quæ generi  
subijcitur est, in qua quibusdam positis, qua distin-  
guitur syllogismus ab omnibus orationibus, in qui-  
bus aliquid non ante ponitur, sed per se ad alium  
aliquem usum accipiuntur, cuiusmodi sunt oratio  
optatiua aut interrogatiua, & huius generis re-  
liquæ. Significat autem uerbum illud, positis qui-  
busdam, idem quod priori loco constitutis. Nec mi-  
hi uidentur multum ab Arist. sententia discedere,  
qui, positis, hoc est concessis interpretantur, ut  
Aulus Gellius lib. 15. noctium Atticarum cap. 26.  
in hunc modum transtulit. Syllogismus est oratio,  
in qua consensus quibusdam, & concessis, aliud  
quid, quàm quæ concessa sunt, per ea quæ concessa  
sunt, necessariò conficitur. modo ne intelligant  
ea decum concedi, quæ ab altero, cuius tu senten-  
tiam rogaueris, admittantur. Nam hoc modo syl-  
logismi naturam pendere diceremus ex alterius  
responsione, id quod nec syllogismo in uniuersam  
conuenit, nec Demonstratio, sed tantum Diale-

Syllogismus 20

argumento gen-  
ex Galeno

dico. At si, concessis, ita accipiant, ut certe mihi  
 uidetur accipere, ut ea concessa dicant, quae quo-  
 quo modo aut suapte natura aut ab alio, aut ab eo  
 ipso, qui ratiocinatur, admissa fuerint, illud certe  
 uerum erit omnem syllogismum ex concessis con-  
 stare. Nemo enim intelligere poterit, ex sumption-  
 nibus aliquid sequi, nisi illas ante statuerit, ac ue-  
 luti animo receperit & cogitatione, ut quid inde  
 sequatur uideat. Huc respiciens Aristot. libro pri-  
 mo rhetor. cap. 2. ijs uerbis syllogismum definiuit.  
 Cum existentibus quibusdam, aliud quidpiam com-  
 mune ipsorum uel contingit, quod ab ipsis diuersum  
 fit, nulla tamen alia de causa, nisi, quia illa sint,  
 usu ueniat, siue in uniuerso id fiat, siue plerumque,  
 in differendi ratione syllogismum esse: in dicen-  
 uero, enthymema appellari. Tantum Aristotel.  
 Ut igitur, quae discrepantia uidentur, in his eius-  
 dem rei definitionibus animaduertamus, simulq;  
 intellectum eorum uerborum, & quae mente sin-  
 gula protulit, uideamus, quod reliquus omnibus lo-  
 cis ratiocinatur, hic uerum uocauit. Valet autem  
 illud positum atq; concessis, ut nos supra diximus.  
 Hoc autem existentibus, unde hic locus illam in-  
 terpretari uidetur. Alij uero exponunt, positum, hoc  
 est, in modo et in figura dispositum, quae uana est &

à ratione aliena interpretatio. Omnis enim argu-  
 mentatio, quae est in modo & in figura, aliud ab  
 ijs quae posita sunt, necessario concludit, eo quod haec  
 sunt. Nunquid igitur ridiculus est Aristotel. qui  
 ista omnia adiecerit, quae in uerbo, positum, continen-  
 batur? Adde quod ineptum interpreti facilius Arist.  
 qui nobis syllogismi naturam declaret per modum  
 & figuram, quae nobis plane sunt ignota, quaeq;  
 paulo post ut quasdam proprietates syllogismi ex-  
 plicaturus est. Hic tamen animum aduertendum est,  
 in omnibus definitionibus numero multitudinis, quae  
 Arist. uti, nimirum positum & existentibus, quia  
 una tantum re posita, constitutaq; nihil ratione  
 hac concludatur. Minimum enim duae propositio-  
 nes requiruntur, ut quippiam necessario conclusum  
 datur. Quod si enthymema una tantum contenta  
 uidetur, id fit, quia altera, quantum ab eo, qui dicit,  
 non proferatur, ab auditore tamen adiungitur, est  
 namq; illa nota, et, quin id uerum sit, dubitari non po-  
 test. Sequitur differentia altera, aliud ab ijs quae  
 posita sunt, quae distinguitur syllogismus non modo  
 à ridiculis argumentationibus, quae idem quod ac-  
 cipiunt concludunt, sed etiam ab alijs consecuta-  
 tionibus, quae in conuersione propositionum, &  
 ut appellant recentiores Dialectici, equipollentia

cernitur. Quamquam enim si idem ualeant duae propositiones, ex una sequatur altera, idq; necessario, quia tamen non aliud consequens est, quam antecedens, ob id genus illud consecutionis nec syllogismus, nec ullo modo argumentatio est. Idemq; de conuersione dicendum est: quia enim idem sunt termini in una atq; altera propositione, tantum ordo mutatus est, ob eam causam, nec argumentatio, nec syllogismus est conuersio. Id quod hac etiam ratione confirmari potest. Nihil probatur per seipsum: ergo necesse est praeter duos terminos quaestiois propositae alium quendam terminum accipere, quo ueluti medio, id de quo quaeritur, confirmetur, aut refutetur. necesse igitur est omnem argumentationem minimū consistere tribus terminis, in nulla autem conuersione sunt tres termini, nulla igitur conuersio argumentatio est: quare nec enthymema erit, quod uolunt aliqui interpretes. Sic igitur oportet diuersam esse conclusionem à summptionibus, ut de subiecto conclusionis aliud, quippiam dici concludatur, quam quod erat cum ipso subiecto conclusionis in summptionibus conuictum: quod quia nec in conuersione, nec in aequi-pollentia fit, propterea non iniuria diximus hanc definitionis parte syllogismum distinguere à consecutio

cutioibus huius generis. Addidit, Quiddā, ut ostēderet illatam conclusionem determinatam esse. nam omni solion, uel nulli, uel alicui, uel non omni infertur. Etenim, quiddam, determinatum aliquid significat. Ex quo fit, ut cum quiddam, dixerit, ratiocinationem ab inutilibus ratiocinationibus secreuerit, in quibus nihil, nec omni, nec nulli, nec alicui, nec nō omni determinatum inducitur. Proxima differentia est, ex necessitate, qua omnes excluduntur captiones, quae necessario nil efficiūt, itemq; omnia ferē rhetoriam enthymemata, quae ex signis ducuntur, ea enim Arist. ad finem 2. de priori resolu. ostendit, nil necessario concludere. Illud autē hoc loco intelligendū est, non sine ratione Arist. potius dixisse, necessario accidit, quam necessario accidit, seu efficitur. Nec enim semper necessarium est, quod cōcluditur, licet necessario semper sequatur cōclusio. Illudq; est, quod ab interpretibus modo necessitas materiae, modo necessitas cōsequētis appellatur. Dicūt enim syllogismo semper inesse necessitatē formae siue consequētis, nō autem semper inesse necessitatē materiae, quia nō semper conclusio per se accepta est necessaria; aliterum autem ex altero sequi nihil aliud est, quam ex uno ita alterum effici, ut non possit non sequi tale

tale cōsequens ex tali anteccedēti. Dubitabis tamen si necessariò sequitur, quomodo inquit Aristotel. *accidit* quod enim accidit, non necessariò efficitur. Dicendum est, accidere in presenti idem esse, quod consequi, ut sit sensus, unum ex altero necessariò consequitur. Hinc intelliges Arist. præd. de ijs, quæ cum aliquo conferuntur, ubi inquit hominem, disciplina susceptiuū, hero accidere: hoc est, herum sequuntur. Et lib. 2. de anima cap. 6. cuius hæc sunt uerba: per accidens autem sensibile dicitur, ut si album Diaris filius sit: per accidens enim hoc sentit, quia albo, quod sentit, id accidit. id est, id consequitur. Et lib. 3. de anima cap. 1. ubi eadem uerba iterum repetit. Et lib. 1. Elench. cap. 4. inquit triangulum figuræ accidere. Nunc superest postrema pars definitionis, quæ ut ultima est syllogismi differentia, ita cum syllogismo reciprocatur, maximeq; syllogismi naturam complectitur. ea est, id quod hæc sunt, quæ uerba Arist. ipse interpretatur, dicens his uerbis intelligi oportere syllogismum ita sumptionibus conclusionem efficere, ut nullo præterea sit opus termino, ut necessariò uideatur sequi ex sumptionibus conclusio. Hac igitur differentiâ omnes excluduntur argumentationes, quæ licet necessariò aliquid concludant, illud

ta

tamē non tantum pendet ab ijs, quæ supra posita sunt, sed etiā ex aliquo alio, quod cū in ipsis sumptionibus non contineatur, aliunde acceptum, et cum ipsis coniunctum indicat necessariam fuisse conclusionem. Sunt autem in hoc genere omnia enthymemata, omnes inductiones, omnia exēpla, quæ necessariò concludunt, sed et omnes syllogismi, qui ab Arist. ex hypothesi appellantur, quæ parte hypothesin habent, hæc parte à definitione syllogismi excluduntur, quemadmodū ipse Arist. indicat cap. 4. huius libri. Deniq; excluduntur hæc parte omnes syllogismi, quibus non principalis cōclusio, sed aliquod ipsius necessarium consequens ex sumptionibus concluditur. Veluti si quis hoc modo concludat, omne animal substantia est, omnis homo est animal, Socrates igitur substantia est. Itē illæ captiones, in quibus nō causa pro causa ponitur, ut satis indicat in elen. Arist. hæc parte excluduntur. Ex ijs itaq; satis cōstat quodnā sit genus, quæ ue differentia in definitione syllogismi.

## ERROR NONVS.

Errat magna etatis nostræ dialecticorū pars, quod definitionē propositionis nō intelligat.  
Arist.





Rist. libro primo de priori resolutione cap. 1. hæc ait. Propositio est oratio affirmatiua, uel negatiua, alicuius de aliquo. Interpretes uerba illa, affirmatiua uel negatiua, accipiunt, ut partes definientes ipsam propositionem: cum re uera potius partes diuidentes propositionem sint. Propositionis ergo integra definitio hæc est. Propositio est oratio alicuius de aliquo. Primum si partes illæ sunt in definitione collocandæ, quorsum Aristot. addit, alicuius de aliquo? Deinde quælibet pars definitionis in plus se debet habere, quàm totum. Verba sunt Aristot. lib. 2. de demonstr. cap. 14. sed affirmatiua uel negatiua, non in plus, imò in minus se habent: non sunt igitur partes definitionis. Neq; addenda est pars illa, alicuius ab aliquo, in definitione propositionis, ut Petrus Hispanus in hunc modum dixit. Propositio est oratio affirmatiua uel negatiua alicuius de aliquo, uel alicuius ab aliquo. Quid, quaeso, certi ex ambigua illa definitione uenabitur Dialecticæ professionis studiosus? Ah respiciant tandem, qui Petrum Hispanum sibi tanquàm idolum crexerunt, quiq; ab eo dissentire, piaculum ducunt, cognoscunt non solum in hoc authore omnia dubitationis plena, sed omnes eius libros innumeris

numeris scateret erroribus, quorum magnam partem hoc libro attingimus. Per illa enim uerba, alicuius de aliquo, esse & non esse, Aristoteles intellexit: ut candidè constat ex libro primo de priori resol. capite primo. ubi ita ait. Nihil autem refert ut fiat ex utraque syllogismus: Nam & qui demonstrat, & qui interrogat, syllogizat: sumens aliquid de aliquo esse uel non esse. & libro secundo eiusdem nominis, hæc scripsit. Conclusio uero aliquid de aliquo est. Quæ uerba ipse statim exponens, conclusionem affirmantem, & negantem infert. Hæc igitur parte, alicuius de aliquo, Aristot. propositionem simplicem à composita seiunxit. Nam, aliquid, attributum indicat: de aliquo, subiectum: quæ in composita propositione non reperiuntur. Diuiditur autem propositio in aientem *diuisio ppositiua* & negantem: deinde in uniuersalem, particularē, & indefinitam.

## ERROR DECIMVS.

Lapsi sunt Georgius Trapezuntius, & Laurentius Valla, contraque ueterum prescriptum contendunt, enuntiationem genus esse ad propositionem.

Geor



Georgius Trapezuntius tractatu primo sua dialectica haec ait. Omnis igitur oratio, qua necesse est aliquid de aliquo, uel asserere, uel negare. Si uel esse, uel non esse significat, consideratur, enunciatio dicitur, si, ut uerum uel falsum, propositio appellatur. Haec ille. Laurentius Valla cap. 4.4. suae dialecticae in hunc modum scribit. Quare nos de syllogistica propositione loquentes dicamus, propositio est syllogismi initium, uel prima enunciatio syllogismi. Est enim enunciatio genus ad propositionem, assumptionem, conclusionem. haec uero Valla. Duo hic sunt notanda, primum Georgium ignorasse discrimen inter enunciationem & propositionem, cum sint idem re, ratione uero differant. Etenim propositio spectatur, quatenus pars syllogismi est, assertioq; uel negat aliquid, Enunciatio uero uerum falsumue exprimit. Hinc Arist. in lib. de interp. enunciatione usus est, in libris de priori resolutione, propositione. Alterum, Valla facere enunciationem genus propositionis. Et, ni mea sententia me fallit, deceptus est, quod Arist. testimonio lib. 1. de demonst. cap. 2. ubi haec scripsit. Propositio autem est enunciationis altera pars unum de uno. Quo in loco Arist. non posuit enunciat

enunciatio & propositio  
idem re differunt  
20c

enunciatio non  
genus propositionis

ciationem ueluti genus, sed, enunciationis altera pars, dixit: id est, affirmans uel negans. Siquidem propositio demonstratiua unam solum contradictionis partem, accipit, siue sit affirmans, uel negans. quod libro primo de priori resol. cap. primo copiosius ostendit.

## ERROR VNDECIMVS.

Hallucinatur Niphus, Boëtii secutus, Quod modos quinque primae figurae inuerset & praeposterè concludentes, ab Eudemo uel Theophrasto esse inuentos, existimauit.



Boëtius lib. 2. de syllogismo categorico haec uerba memoriae mandauit. Hos uero quatuor in prima figura modos in Analyticis suis Arist. posuit: ceteros uero quinque modos Theophrastus uel Eudemus addiderant. Quibus Porphyrius grauissimae uir auctoritatis uisus est consensisse. Haec Boëtius. His subscribit Niphus, enunciat. 96. suorum ludicrorum, in hunc modum scribens. Quarta uero figura est, quando, b. medium praedicatur de, a. praedicato conclusionis & subiicitur ad, c. subiectum eiusdem. Huiusmodi sunt quinque: ut, baraliphton: ce-

E lana

lantes, dabitur, sapiesmo, frifesomorum. Huius non meminit Arist. quia est innaturalis: ut dicit Auerroës. Innaturalis enim est, ut subiectum subiecti sit prædicatum prædicati: cum naturali ordine quicquid de prædicato prædicatur, & de subiecto prædicetur: ut Boëtius dicit. hæc Niphus. Eligius Vergerius in ultima parte sue Dialecticæ ita inquit. *Sophistæ ijs addiderunt alios quinque modos conclusionem habentes inuersam, siue (ut ipsi loquuntur) indirectam. Hoc quam probabile sit, ipsi uiderint: cum talis loquendi forma sit cõmuni naturæ sermo nis planè cõtraria, & nullũ thema illis probetur, quod quatuor usitatis nõ possit, & quidè facilius, probari. Mirari profectò satis nõ possum, quo pacto nõ solũ hi, uerũ cetera Dialecticorũ pars in eã deuenierint inscitia, ut hos modos ab Arist. suis se neglectos putent: cum tamen in luce meridiana clarius cõstet. Arist. in suis de priori resol. libris, modos istos ostendisse. Duos enim posteriores ipse indicauit lib. i. cap. 7. Ostēderat cap. 4. ex minori propositione negati cõbinationè utilis in prima figura fieri nullo modo posse. Verba eius hæc sunt. Si autem primum quidè omni medio consequens est. mediũ uerò nulli postremo: nõ erit syllogismus. Nihil enim necessariũ accidit, eò quòd hæc sunt: nã et omni,*

omni, & nulli contingit primum postremo inesse: quare neq; particulare, neq; uniuersale sit necessariũ. Cum autem nihil est necessariũ, per hæc nõ erit syllogismus. Termini uerò eius quod est omni inesse, animal, homo, equus, eius uerò quod est nulli, animal, homo, lapis, hæc Arist. Posset quis rogare, an aliquo modo ex assumptione negante, aliquid possit colligi, ut diuersum quid ab ijs necessariò efficiatur. Cui Arist. in hunc modũ cap. 7. respondet. Cum autè prædicatiuus, & priuatiuus, & uniuersaliter sumptus priuatiuus, sepe fit syllogismus minoris extremitatis ad maiorem: ut, si a. qui dẽ. b. omni. uel alicui. b. autè nulli. c. cõuersis enim propositionibus, necesse est. c. alicui. a. non inesse. Quorũ uerborũ hic est sensus. Postquam inutiliũ, et artis expertiũ ratiocinationũ mentionẽ fecit, in his uerbis, quinã inutiles possint suscipere curã, et perfectionẽ, ut bonæ fiant, & quæ nõ possint, aggredditur declarare. atque inquit. Si enim maior propositio uel uniuersalis aiens, uel particularis, & minor uniuersalis negans fuerit, ratiocinatio inutilis fiet: poterit tamẽ utilis fieri cõuersis duabus propositionibus, præterquã quòd non induces. a. non omni. c. sed. c. non omni. a. conclusionẽ. Proinde ex ijs dilucidum admodum est, quartum & quintum.

quintum modum primæ figuræ, eorum que præ posterè concludunt, memorie mandasse. Neque alios priores omisos fecit, ut ex c. 1. li. 2. de prior. res. omnes intelligent. ibi enim ostendit, uniuersalem conclusionem aientem posse inferre suam cõuertentem, unde modus primus oritur. Deinde uniuersalem negantem suam quoq; conuertentē, quo modo secundus modus fit. Demum docet particularem affirmantem suam identidem conuertentē, inferre, ex qua tertius modus scaturit. Ridiculum igitur ferme est, putare hos quinq; modos, quos nostri temporis Dialectici, indirectè concludentes nominant, melius tu eos proposterè aut inuerse concludentes, appellabis, ab Aristotele fuisse neglectos. Quare tu, quisquis es, qui solidam doctrinam, & ueram Aristotelis mentem ex animo sitis, discet aliorum periculo, delectumq; legendis authoribus adhibe.

## ERROR DVODECIMVS.

Hallucinatur Audomarus Taleus, definitionem syllogismi perperam ab Aristot. esse traditam, pronuncians.

Ex



X hoc errore deprehendunt, manifesteq; agnoscent ueritatis amatores, quanta in caligine uersentur ij, qui mordicus tenent Petrum Ramū, uniuersaq; Dialecticæ principem statuunt: ac omnia que idem scripsit, sine ullo rationis examine, pro uero admittunt: ad eò, ut non immeritò quis Dialecticam deplorare possit, quòd hoc seculo peritissimo mirum in modum sub Rami placitis periclitata sit. Et hæc uera esse, sentient omnes qui ea que de institutionibus Dialecticis, & Aristotelis animaduersionibus, exacto iudicio trutinauerint. Quod Taleus minimè animaduertere potuit, tum quia parum eruditus in Dialectico negotio uidetur, ut ex ijs prælectionibus, quas institutionibus Rami subscripsit, quis intelligere poterit. Tum etiam ob amorem fraternum ita cæcitiuit, quòd ueritatis indagator nullomodo potuerit esse: atq; tandem iste illum secutus, ambo in præcipitiū ducti sunt. De quo certè dolendum erat, nisi eorū ostentatio causa suorum errorum fuerit. Cum certò sciam, eos in uiam rediisse, & doctrinam, quam semper infsecuti sunt, nūc ambabus ( ut aiunt ) manibus, amplectantur. Ceterum inter alia, que Taleus aduersus Aristotel. scripsit, definitionem syllogismi

E 3 logismi

logismi ab eo non bene esse traditam, inquit: quòd alijs à syllogismo illa definitio cõueniat. Ne uerò quis per calumniam me reprehendisse Taleum suspicetur, ecce eius uerba, quæ scripsit libro secundo prælectionum, subiiciam.

Quid Aristoteles de  
definitione syllogismi?

Syllogismus, inquit, est oratio, in qua quibusdam positis aliquid diuersum à positis ex necessitate accidit, quia hæc ita posita sunt. Quæ definitio obscure tradita est, nec syllogismi naturam perspicue declarat, quæ est argumenti cum quæstione dispositio: nec syllogismi uidetur esse propria: quia quibusdam positis aliquid potest necessario sequi, eò quòd hæc ita sint, neq; tamen syllogismus, ut

Venti incubere mari,  
erebris micat ignibus æther  
densi funduntur ab æthere nimbi,  
ergo tempestas est.

Ex his antecedentibus causis ita positis necessario tempestas efficitur: neque tamen syllogismus est. Hæc ille. Quæ quantum in uniuersum à ueritate sint aliena, primum demonstrat praua eius traductio, quæ fortasse ipsum in hunc errorem duxit. Vertendum enim erat, syllogismus est argu-  
gumen-

gumentatio, ut copiosius in retro dictis monuimus. Et si in hunc modum uerteret, considerasset exemplum ab eo positum non esse argumentationem, ex quo sibi persuasum haberet, definitionem syllogismi alijs minime gentium conuenire. *Secd. 1. phi. fig. 10.*  
(ut ferè fit) absurdo uno concesso, multa inde accidunt, ut Taleo conuenire nõ dubium est. Præterea, unde tu colliges, necessario sequitur, igitur definitio syllogismi ei accommodatur? Nonne necessario sequi, & syllogisticè sequi differunt? Quod Aristotel. respiciens lib. 1. de priori resol. cap. 33 in hunc modum scripsit. In aliquibus ergo facile est uidere quod minus est: aliqui uerò latent, & uidentur quidem syllogizare, eò quòd necessarium quid accidit ex ijs quæ posita sunt. Et paulò post. Fallimur autem in talibus, eò quòd necessarium quiddam accidat ex ijs quæ posita sunt, quoniã & syllogismus, necessarium est: in plus autem est necessarium, quàm syllogismus: nam omnis syllogismus, necessariũ: necessariũ autè nõ omne, syllogismus. Quare nõ (si quid accidat positis quibusdã) statim tẽrandũ est reducere, sed primũ sumẽdum est duas propositiones. hæc Arist. Docet te Arist. õ Taleo, quo pacto nõ decipiaris, et tu illi caluniam imponis: decebat, si diligens es, & ueritatis studio

*sus Arist. doctrinā intelligere, sed quia hoc facere nō potuisti, id ipsum causa fuit, quod illū sequi desineres, & aduersus eum turpiter, & infantiliter loquereris. Et sufficiat ista ad confutationē tui erroris: plura dixissem, si quæ dicas, alicuius essent momenti. Ob id diligenter admodū cauēat studiosi, ne tuis uerbis decepti, in errorum laqueos incidant.*

## ERROR DECIMVS TERTIVS.

*Non octo solum esse topicorum libros, ut totius recentiorum Dialecticorum cœtus arbitratur, sed in uniuersum decem, quæadmodū & opus resolutorium quatuor libris cōtinetur.*

**M**illas hic facio diuersas ac pugnantias inter se recentiorum de numero horū librorum sententias, ex quibus facile æquus lector æstimabit, eosdem nihil horum intellexisse, atque aded nihil mirum, si reliquis etiam occasionem errandi præstiterint. Vnū tamen hic ostendam, denario numero libros topicorum contineri, & hanc fuisse Aristot. mentem, ex ijs, nemo deinceps ambiget. libro. 2. de priori resol. cap. 19. hæc ait. Ergo manifestissimus quidē modus est non propter suppositionem esse falsum: quando

quando ab hypothesi incōiunctus est à medijs syllogismus ad impossibile, quod dictum est in topicis. Hæc quæ, inquit, Aristot. se alibi dixisse, non inueniētur in aliquo octo librorū topicorum, quinimō lib. 2. Elenchorum ab eodem sunt scripta. lib. etiā primo de prio. res. cap. 1. in hunc modum scripsit. Dialectica autem percontanti quidem interrogatio contradictionis est, syllogizanti uerò sumptio apparentis, & probabilis, quemadmodum in topicis dictum est. Neq; de propositione apparenti Aristot. in lib. 8. Topicorū differuit, sed in lib. Elenchorū. Quæ singula certè satis superq; declarāt, decem libros topic. esse, uerbumq; totos, omnibus esse commune. Accedit ijs, quod Aristot. lib. 2. Elenchorum cap. 8. ad finem, breui quadam per oratione omnes hos libros complexus est. Quare nō est, quod posthac hæsitent studiosi, libros topicorum, ab Aristot. denario numero fuisse comprehensos. Id etiam scio, omnes topicorū libros ad nos nō peruenisse: ut constat ex lib. 2. rhet. cap. 23. ubi docens quot modis quidpiam dicatur, querit quot sint notiones aduerbij huius, ὑπερῶς, & ait in topicis hoc disputasse. Neq; intellexit octo libros, quos inscripsit τὸ τὰ: non enim in illis quot modis capiatur, cum aliquid rectè factū dicitur, docuit. Neq;

E 5 libros

libros, quos *σοφιστικά*, scripsit, in quibus manifestò hæc exēpla non inueniuntur. Item cap. 24. & 25 qui diligenter attenderint, uidebunt eodem pacto ipsum locutum, & in dialecticis, in topicis, dixisse, cū facultates ipsas significaret: ea enim illic protulit, quæ neq; in suis topicis, neq; in Elenchorum Sophisticorum libris inueniuntur. Ad hunc sanè modum libri quatuor, qui priorum, & posteriorū dici solent, resolutorij inscribuntur. Nō rarò enim sub hoc nomine ipsum Arist. tum priores, tum posteriores libros inuenimus citantem. Nam loquēs de aliqua Arist. quæ in libris de Syllogismo à se tractata sit, quàm sepe analytica citat: ut cap. 1. 2. de interp. item cap. 4. & 5. 8. topi. item lib. 1. Rhe. 2. Et cum loquitur de ijs, quæ lib. de demōst. dixit, sub hac eadem inscriptione illos sepe citat: ut. 6. Eth. 3. item. 7. primæ phi. cap. 2. itē. 1. Elene. cap. 2. unde cōmunem horum quatuor librorum inscriptionem esse resolutionem perspicuū est. propriā autē priorū inscriptionē fuisse de Syllogismo, posteriorū de demōstratione, ut Galenus doctissimè multis in locis ostendit. Hæc adijcere placuit, non ut ignorantia alicuius detegerem (neminem enim nominauit) sed ut intelligas, quàm falso inscriptiones horum librorum intelligantur: ut in: erim uerum

merum librorum omitam. Tu uerò da operam, ut non hæc solum, uerum & multò maiora & plura consequaris: ut ratione dicendi rectè habita, & maiorum scientia rerum non abiecta, uerè doctus sis, & uidearis.

## ERROR DECIMVS QVARTVS.

Lapsus est Ioannes grammaticus, qui contra Aristotelis sententiam, lib. 2. de priori resol. locum quendam interpretatus sit.



Tsi ad tanti uiri errata consultius esset fortè conuiuere, attamen quia ueritas ipsa nullius nec odio, nec amore deferenda est, ideo nec huic parcendū putauim, maxime cum sint pauci admodum, qui ista in suis libris animaduertant. Arist. lib. 2. de prio. res. capit. 27. hæc ait. Peperisse autem quoniam pallida. per mediam figurā uult esse. quoniam enim sequitur, parientes pallor, sequitur autem & hæc: ostensum esse arbitratur quoniam peperit pallor in quo. a. parare in. b. mulier in quo. c. Ioānes hūc locum hisce uerbis enarrat. Per secundam figurā illud per signum ostenditur, sic mulier prægnans est

est pallida, & pallida scitur esse, ergo pręgnans. Et dicitur gratia exempli, quia secundum ueritatem in secunda figura syllogistica fit coniunctio ex duabus affirmatiuis. hæc ille. Inquit ergo gratia exempli Arist. in illū modum terminos in secunda figura disposuisse, quoniam in secunda figura inutilis illa combinatio est. Videtur mihi parū consiliū Arist. Philoponum aduertisse, & hoc causa fuit, quare diceret, Arist. hic exemplis uti, nō ut ipsam ueritatem ostenderet, sed ut eisdem exemplis subiectam materiam interpretaretur, siquidem in exemplis ueritas non est postulanda: ut ipse Arist. docuerat lib. 1. de pri. resol. cap. 39. Est igitur institutum Arist. in illo capite enthymemata ad syllogismos reducere: ut enthymema, quod alioqui syllogismus imperfectus erat, perfectus uideretur. Hoc igitur enthymema ad primā figurā Arist. reuocat. Mulier lac habet, ergo fuit pręgnās. Omne lac habens fuit pręgnans, ista mulier lac habet, igitur fuit pręgnās. Deinde Arist. exemplum enthymematis in tertia figura ponit. Quod si quispiā roget, cur prius non fecerit de secunda mentionē. Respondemus, hoc ideo factum esse, quoniam signū non proprie fertur in secunda figuram, propter ea quod facile soluitur, ut statim dicemus. Enthymema

mema igitur propositum tale est. Pittacus est studiosus, ergo sapientes sunt studiosi. in tertiam figuram ita reduces. Pittacus est studiosus, Pittacus est sapiens, sapientes ergo sunt studiosi. Postremo in eodem capite exemplum scripsit Enthymematis, quod ad secundam figuram erat reuocandum: ista mulier est pallida, ergo pręgnans. in secundā figuram ita erat reducendum: omnis pręgnans est pallida, ista mulier est pallida, ista igitur mulier est pręgnans. Hæc combinatio inutilis est: quoniam ex omnibus affirmantibus in secunda figura nulla conclusio necessaria est. Quocirca non gratia exempli Arist. in secunda figura illos terminos disposuit, sed ut doceret, nos nō posse ad secundam figuram enthymema reducere, quin ratiocinatio inutilis euaderet, & argumētationē in uniuersum nullius momenti esse. Hinc Arist. omnibus prædictis hæc subiecit. Verum quidem per primam figuram insolubilis, si uerus sit: uniuersalis enim est. Et. 1. rhe. cap. 2. ita ait. Sin autem dixeris quempiam egrotare, quoniam feblicitet: aut peperisse, quoniam lac habeat, id iam necessarium, & solum ex signis argumentum est, cum solum (si uerum est) insolubile sit. hæc Arist. Planum enim est, cunctos, qui febrili laborant, egrotare, hunc, qui eo actu premiatur,



tur, eo signo egrotū esse intelligitur. Eadē ratio est alterius exempli. In prima autem figura integer absolutusq; syllogismus ita conformabitur. Cōclusionem autem ipse primò ponit: egrotat quispīam. uideo enim illum febrem habere. Febris igitur mihi indicium est, quòd egrotet: maiorem autem quam appellant, propositionem, cum enthymema conficiat, relinquit. Est enim plana & omnibus nota, qui febrem habent, egrotare. Posterioris exempli, quòd adducit, descriptio hæc erit. Hæc mulier peperit uides enim lac. Lac igitur, quod ipsam habere conspicio, signū mihi est, quòd peperit: ubi etiam superiorē propositionem omittit: cuncte enim quæ lac habēt, pepererunt. Habes igitur expositionē uerborum Arist. Deinde Arist. in prioribus hæc ait. Qui autem per postremam, est solubilis, & si uera sit conclusio, eò quòd uniuersalis: est in tertia, nec ad rem syllogismus: non enim si Pittacus est studiosus, propter hoc et alios necesse est esse sapientes. Et loquens de fiducia secundæ figuræ, inquit. Qui uerò per mediā figurā est semper & omnino solubilis: nunquā enim syllogismus fit, sic se habentibus terminis. Non enim si quæ peperit pallida, pallida autem & hæc necesse est parere hanc: ergo uerum est quidem in omnibus

mnibus figuris, differentias autē habent iā dictas. His similia sunt, ea, quæ Arist. 1. rheio .2. inquit. Quod uerò quasi uniuersale se habent ad particulare, huius modi est, ut si quis febricitare hominē dicat, et eius signum esse, quòd crebrò respiret. Solubile autē & hoc est, etiam si uerum sit. *Vtriusq; m. p. c. l. c. 2.* loci hæc est interpretatio. Enthymema, quòd ad secundam figuram reducitur, licet sumptiones ueræ sint, dissolui tamen potest. Et si omnes, qui febrem habēt, crebrò respirant: nō tamē omnes, qui crebrò respirant, necessariò febrem habent: fieri enim potest, ut aliquis alia de causa crebrò respiret: ut faciunt, qui cursu contentiore usi sunt. Cū eiusdem conclusionis uitium ostenderet in posteriori lib. de priori resol. in lib. Elench. de fallaci hac conclusione multis exemplis allatis locutus est. Eam autem effici docet è falsa opinione hominum, qui stultè credunt, si quidpiam alicui rei necessariò consequitur, retro agi, conuertiq; semper consecutionem illam, quòd nullo modo uerum est, ideo in secunda figura, modò illi termini sint, uana & infirma illa conclusio erit: propterea quòd ex omnibus aientibus nihil cōcludatur, nō ut inquit Philoponus, & gratia exempli factū est. Ex quibus aliqua colliges, primū secundam figu

ram dilui posse, ob eam causam, quā supra ostēdimus. Deinde tertiam minus solubilem, quoniam ex ijs, quae in parte sunt, propositionibus, conficiatur. Deniq; primā figuram exactam ac perfectā esse, quod ex omnibus in uniuersum aientibus compositione sumat. Hinc illud Arist. lib. 2. de prio. res. ca. 21. intelligitur, quādo inquit. Nam scire tripliciter dicitur, aut in uniuersali, aut ut propria, aut in actu. de prima figura esse intelligendum, haec enim est, quae magis ad scientias adipiscendas accommodata est. Ex quibus omnibus sole clarius sit, non gratia exempli, sed doctrinae causa, secundam figuram ita Arist. disposuisse. proinde Philoponum esse hallucinatum, nemo non uidet.

## ERROR DCIMVSQVINTVS

Non temerē Petrum Hispanum, & omnes eū sequentes, ignorasse dicimus, quando prae ter id quod in conuersionibus describendis anceps, & dubius fuit, etiam propositionem de parte negantem, conuerti, existimauerit,



Conuersio, seu reciprocatio est ordinis uerborum, quibus propositio constat, praeposterā mutatio: ut, Nulla uoluptas bonum est. Nullum bonum uoluptas

luptas est. Si enim prior erat recto ordine pronuntiata, et posterior conuerso ordine uera erit. Propositionum autem quae reciprocantur tria tantum sunt genera: uniuersa negatio, uniuersa affirmatio, & affirmatio de parte. Quae duo genera conuersionis constituunt unum, quod ab Alexandro Aphrodisiensi conuersio in se, à recentioribus Dialecticis conuersio simplex appellatur, quod genus conuersionis conuenit uniuersae negationi, & affirmationi de parte. Vtraque enim mutato tantum uerborum ordine, in eiusdem omnino generis enunciationem conuertitur: ut omnis uirtus est laudanda, aliquod laudandū est uirtus. item aliquod peccatum est fugiendum, aliquod fugiendum est peccatum. Alterum, quod tum ab Arist. tum ab Alexandro in parte conuersionis nūcupatur, alij per accidens conuersionem uocant, ad uniuersas affirmationes pertinet. Haec enim non conuertitur in sui generis propositionem, sed in affirmationē de parte: ut omnis amicitia est laudanda, aliquod laudandum est amicitia. Est igitur conuersio duplex, conuersio in se, & conuersio in parte: atque illa quaedam conuenit negationibus de toto genere, & affirmationibus de parte. Haec autem ad solas totius generis affirmationes pertinet. haec Aristot. ostendit.

F ostendit

Ostendit lib. 1. de priori res. cap. 2. Quibus adiecit  
 negationem de parte non esse necesse conuerti.  
 Verba eius hec sunt. Priuatiuam uerò non est ne-  
 cessariū. Non enim si homo nō inest alicui anima  
 li, & animal nō inest alicui homini. Et paulò pōst  
 ait. Si autem. a. alicui eorum que sunt. b. nō inest,  
 non necesse est & b. alicui. a. non inesse: ut si. b.  
 quidem sit animal. a. uerò homo: homo enim non  
 omni anim. li. animal uerò omni homini inest. Sē-  
 tentia itaq; Arist. hec est. Non est necesse, ut con-  
 uertamus propositionem particularem negatiuā,  
 ut aliquod animal non est homo, in hāc, aliquis ho-  
 mo nō est animal. Huius rei causa hec est: quoniā  
 in re necessaria conuertitur in uniuersalem aien-  
 tem, in contingenti, in particulari affirmantem,  
 in ea que fieri nequit, in uniuersam negantē. Itaq;  
 tradit eam in nullam retrocedere propositionem,  
 quandoquidem in nullam certam & definitam re-  
 ciprocetur: & propterea in nulla materia dicitur  
 illa in aliam retrocedere propositionem: quod  
 doctrina philosophorum scientiam suppeditat &  
 affert: & scientia de communibus & non de cer-  
 tis signatis rebus sit, ut multis in locis Arist. docet.  
 Hec Petrus Hispanus, & omnes eum sequentes:  
 parum aduertentes, in mille laqueos inciderunt: et

contra

contra omnem antiquitatem decreta falsa, & ban-  
 bara a posteris reliquerunt. Quos decebat, non so-  
 lum superiora loca, uerum etiam alia non pauca  
 uidere: ut aquam puram à puro fonte haurirent.  
 lib. enim 2. de priori resol. ca. 1. hec ait. Nam ali-  
 quidem propositiones conuertuntur, priuatiua ue-  
 rò non conuertitur. Sed quid multis moror? rogo,  
 (quibuscum mihi certamen est) cur Petrus Hispanus  
 non docuit quartam secundæ figuræ, & quin-  
 tum tertiæ reductione ostensiuam, sed solum dedu-  
 ctione ad impossibile, ad primam figuram reuoca-  
 ri, ut perfecti uiderentur? si docuit (quod ego  
 non uidi) iterum uos rogo, ut mihi causam redū-  
 ctis, cur non deducantur. Nihil aliud potestis respō-  
 dere, quam id quod Arist. lib. 1. de priori resolu-  
 tione. cap. 4. in hunc modum dixit. Rursus qui  
 in tertia sunt figuræ, non resoluiuntur omnes in  
 primam. Et paulò pōst. Eorum autem syllogismo-  
 rum, qui sunt postrema figuræ, unus tantum non  
 resoluitur in primam, quando non uniuersalis po-  
 nitur priuatiua. Huius autem rei causam post præ-  
 dicta uerba in hunc modum dixit. Si autem parti-  
 cularis sumatur priuatiua, non erit resolutio: ut  
 si. b. quidem omni. c. a. autem alicui. c. non inest: cō-  
 uersa enim. b. c. utraq; propositiones erunt parti-

F 2      cula.

particularis negatiua  
 que non conuertitur.

culares. Ex omnibus autē propositionibus de par-  
te conclusionem fidam non posse sequi, in retro di-  
ctis iam Arist. ostenderat. At dicetis: hæc uera es-  
se fatemur. Nolumus nos maiorem propositionē  
reciprocari, sed assumptionem duntaxat, maiori  
uniuersa relicta. Vobis igitur statim in sequenti-  
bus uerbis respondet Aristoteles in hunc modum  
occurrēs. Si autem particularis sit priuatiua, nõ  
resoluetur, non enim suscipit cõuersionem parti-  
cularis negatiua. Non est ergo, quod Petrus Hi-  
spanus ab errore excusari queat.

## ERROR DECIMVS SEXTVS.

Perperam Dialectici recentiores, eandem esse  
propositionem, conuersam & conuertē-  
tem, scripsere.

**S**Cio quos hoc loco notem, nec enim  
omnes a me perstringuntur, sed ij tan-  
tum, qui parum in doctrina Arist. eru-  
diti, eandem esse propositionem, con-  
uersam nimirum & conuertētem arbitratur. Id  
sibi persuadent ex Arist. testimonio lib. 2. de prio.  
res. ca. 5. ubi ait. Nā eadē est propositio. b. nulli. a.)

& a. nulli. b. ex ijs colligunt idē esse. Hanc sentē-  
tiam esse ueram in uniuersum dicunt. Quod si ad-  
uertissent ea quæ Arist. cap. 7. eiusdem lib. scribit,  
fortasse in eam dementiam non deuenirēt. Verba  
Arist. hæc sunt. c. quidem ostensum est, alicui. b. in-  
esse. b. autem alicui. c. non est ostensum. His adiun-  
ge, quando subiectū & attributa sunt diuersa, ipsa  
quoq; propositio diuersa erit. idq; accidit in con-  
uersa & conuertente, non igitur idem erūt. Qua-  
re ut (non ipsorum causa) Aristotelem sibi constā-  
tem esse astruamus, hæc dicenda putauim. Proposi-  
tiones superiores duobus modis posse usurpari, &  
secundum materiam, quo sanē modo eadē sunt,  
& secundum formam, quo pacto diuersæ sunt.  
Huc Arist. respiciens lib. 1. de prio. res. cap. 1. hæc  
dixit. Imperfectum uerò, qui indiget aut unius, aut  
plurium, quæ sunt quidem necessaria per subiecta. i. prius. c. 1. in g. l. c.  
Etos terminos: non autem sumpta sunt per propo-  
sitiones. Hinc loca alioqui pugnantia constare ui-  
dentur. Et sufficiant ista ad cõsutationem eorum,  
qui prædictā sententiā temerè posteris reliquere.

## ERROR DECIMVS SEPTIMVS

Notatur Vilhaldæus, quoniã conuersionem  
cum oppositione, Aristotelem silentio præ-  
termississe, credidit.



On sine magna ratione Galenus me-  
dicorū omnium doctissimus & eloquen-  
tissimus optauit aliquādo res posse tra-  
di sine nominibus, ut sophistis, & nati-  
ua cōtentiosus eriperetur de nominibus decertādi  
et calūniandi occasio. Nihil enim est, quod exqui-  
sitam rerum cognitionem obscuriorem efficiat,  
quā inutiles de nominibus disputationes & an-  
phibologiae, quae permultos etiam uiros in erro-  
res induxerūt. Taceo multitudinem nominū bar-  
barorum: quae sic aliorum animis inherēt, &  
quasi illis a natura inesse uidentur: ut ausim dice-  
re consuetudinem barbarē loquendi, in naturam  
eorum transmutatam fuisse: quum ea quae ab alijs  
falsa ceperunt, & ab omni prorsus ratione ali-  
qua posterioribus ita tradunt, ut eandem quā a  
prioribus errandi occasionem acceperunt, cate-  
ris praebeant. Res sine nominibus tradi cupiebat  
Galenus. iuste sanē. Quid est igitur in causa, cur  
non traduntur? Quoniam, res ipsas ad scholas fer-  
re non possumus: unde necessariō, nominibus, lo-  
co rerum, utimur, & quod accidit in nominibus,  
in rebus quoq; arbitramur accidere. Quid tum?  
Si Galenus nomina linguae politoris reijciebat:  
quid de barbaris diceret? Nam si nomina latinē

aut

aut Graecē prolata errandi uiam praebeant: quid  
barbara facient: idq; maximē, quando de eadem  
re & uerba latina, ac barbara habentur. quemad-  
modum in nostra hac logica, & differendī facul-  
tate usu uenire prospicitur. Deus bone, quot erro-  
res hinc orti sunt, a quibus Vilhalpandus pro-  
fessor philosophiae apud Complutenfes euadere  
nō potuit: unde obliuionis Arist. criminari ausus  
est: quum de conuersione per cōtrapositionem (ut  
ipse appellat) nō scripserit Arist. dicat, in suis enar-  
rationibus ad cap. 2. lib. 1. de priori resol. Perspi-  
cuum tamen est, Arist. eam non omisisse: siquidem  
cap. 3. lib. 2. top. eiusdem meminit. Quoniam autē  
oppositiones sunt quatuor, considerandum ex con-  
tradictionibus e conuerso ex consequentia, & de-  
struenti & construenti. Accipiendū autē ex indu-  
ctione, ut si homo animal, non animal non homo:  
similiter autem & in alijs. Hic enim e conuerso  
consequentia. Nam hominem animal sequitur,  
non hominem autem non animal nequaquam: sed  
e conuerso non animal non homo. In omnibus igitur  
tunc tale existimandum est. Itaq; uocat Aristote-  
les conuersionis hoc genus cōsequentia e conuer-  
so, propterea quod negatio consequentis inferat  
negationem antecedentis. Quo arguendi genere

F 4

multis

non  
locat aut  
eandem  
qua scilicet

1. Elencho.  
cap. 1

multis in locis Aristoteles utitur, ut postea dicemus. Cur igitur Aristoteles in libris de priori resolutione hanc reciprocandi propositiones methodum dimisit: quoniam ad reductionem syllogismorum nihil conducebat: cuius occasione de alijs conuersionibus egit: quibus syllogismi imperfecti ad perfectos redigerentur. Imò hac etiam ratione uenit iterum taxandus Vilhalpandus, in reductione, syllogismorum conuersionem cum oppositione, querens. Nam quid magis ridiculum: Mihi sane dubium Vilhalpandei nil aliud querebat in tractatione de priori resolutione, quam si Taurum montem in Europa: & Tagum fluum in Asia inquireret: atque fortasse minus absurdi in his reperiretur, quam in Vilhalpandei de conuersione cum oppositione in libris de priori resolutione, inquisitione. Est enim quoddam arguendi genus fidum ac constans ipsa cum oppositione conuersio: quam Aristoteles capite primo libri primi: de animo utitur. Cicero etiam libro primo de inuentione, eadem argumentandi uia usus est. Deinde si (ait) constitutio & pars eius quelibet intentionis depulsio est: que intentionis depulsio non est, ea nec constitutio, nec pars constitutionis est. Sic ergo doctissime Vilhalpande, crede non bene te de hoc con-

Quærentia argu  
mencionis  
Vilhalpandus  
de anima

conuersionis genere, seu potius arguendi metodo agere, proinde Aristotelem lege, ut quid in omnibus locis ipse uelit, cognoscas. Cæterum hac in re uenia tibi, ut multis alijs, cõcederetur: ni in multis alijs, que in septem illa capita lib. 1. de priori resolutione scripsisti, peccasses: inter que hæc mihi digna uisa sunt, ut per hunc ordinem disponerem.

Errauit Vilhalpandus partem hanc, ab aliquo, Error primus.  
definitioni propositionis esse adnectendam.

Illas partes, affirmatiua uel negatiua, dixit esse 2  
propositionis partes definiens.

Indefinita, id est, uacans sine, ipse enarrauit. 3

Nesciuit quo in loco Aristoteles dixit: in exem 4  
plis ueritatem non requiri.

Non intellexit uerba illa, sumptio apparentis, 5  
ideo de sophistica propositione non agere Aristotelem, arbitratur.

Quæ admodum in topicis ipse exposuit in li. 8. to. 6  
Ignorauit Quid apud Aristotelem, nomine quæ 7  
eius intelligeremus.

Dixit propriam uerbi naturam esse proposi- 8  
tionis uinculum.

Asseruit orationem esse syllogismi genus: pro- 9  
pterea quod definitio per genus proximū debet dari: idque quodam Arist. testimonio falso, probauit. At

F 5 quid

- quid mirum? falsis testibus falsam doctrinā doceret  
 10 Nō bene syllogismū à rationatione secreuit.  
 11 Positis, hoc est, dispositis in modo & figura: ut  
 nihil bis falsus dici credas.  
 12 Quare solum modorum de necessariò & inef  
 se meminerit cap. 2. planè cæcutiuit.

Nemo à me flagitet rationes horum & aliorum  
 errorum: quippe quæ, uel ijs qui adhuc Dialecti-  
 ces limina salutant, sint perspicua. Neq; hæc gra-  
 tia ostentationis, aut maledicendi, à me esse dicta  
 quis puet: quandoquidem ueritas ipsa solum me  
 cogit, ut in medium similes errores proferam. Vi-  
 rum doctissimum esse Vilhalpandem credo, ho-  
 minem tamen, qui & errare, & alios in præci-  
 pitū ducere poterit. Hæc igitur de conuersione  
 cum oppositione isto loco aptè dici posse, existi-  
 maui, quare inuitus equidem feci, ut Vilhalpan-  
 deo contradicerem: sed ad id me ueritas impulit,  
 quæ apud omnes plus ualere debet, quàm cuiusque  
 hominis autoritas.

## ERROR DECIMVS OCTAVVS.

Lapsi sunt ferè omnes Aristotelis interpretes,  
 qui ex Gal. sententiã quartã dari figurã uolūt.

Aria



Ristotelis est sententia in libris de  
 priori resolutione, tres tantum esse  
 figuras: idq; multis in locis demon-  
 strat. Quam enim figura nihil sit,  
 quàm certa quedam trium terminorum inter se  
 affectio, si subicias tibi ante oculos tres terminos,  
 a. b. c. impossibile est, ut diuersas comparationes  
 reperiās inter illos terminos plusquàm tres. Nã  
 aut medium. b. comparabis cum extremis duo-  
 bus. a. & c. quæ prima est, figura: aut primam  
 a. cum duobus sequentibus conferes. b. c. quæ se-  
 cunda figura est: aut postremum. c. confretur  
 cum superioribus duobus. a. & b. quæ tertia est  
 figura: nec omninò fieri potest, ut aliam præ-  
 terea comparationem reperiās inter tres termi-  
 nos. Factum est igitur necessitate, ut non plusquã  
 tres figuras faceret Aristot. Quandoquocunq; enim  
 subijcietur in una propositione in altera attribue-  
 tur uerbum medium, illa semper appellabitur pri-  
 ma figura. Quando autem in utraq; attribuetur  
 uerbum medium, secunda erit: quando in utraque  
 subijcietur, tertia. Quòd si hic queratur, quenã  
 sit hæc diuisio syllogismi in primam, secundam, et  
 tertiam figuram, eam nos dicimus esse subiecti in  
 suas proprietates, hæc enim est propria passio  
 syllogismi

Syllogismi: ut sit omnis syllogismus, aut in prima, aut in secunda, aut in tertia figura. His tribus figuris recentiores Dialectici quartam addiderunt, in qua terminus medius in maiori predicatur, in minori uero subijcitur: qua Galenum uti omnes existimauerunt. Primum id dico, nullum apud Galenum locum reperiri, in quo huius figuræ meminerit, uideant igitur quam falsò hoc ei fuerit impositum. Proinde satis constat, omnes aberrasse, qui hanc figuram quartam Galeno imponunt. Infu- per ne hoc præteream, collectionem hanc Stoicorum fuisse, quam non raro Cicero usurpat in libris de finibus. Et ut breuius agam, hæc quarta figura est idem, cum quadam regula Aristi. in præd. cap. 3. ubi inquit. Quando alterum de altero predicatur, ut de subiecto, quæcunq; predicatur de predicato, predicatur etiam de subiecto. ut omne bonum est laudabile, omne laudabile est honestum, omne igitur bonum est honestum. Hic enim arguendi modus appellatur à recentibus dialecticis quarta figura, cuius autorem fatentur esse Galenū, cū Syllogismus primæ figuræ potius sit appellandus, si sumptiones transmutentur, & nunquam nomen quartæ figuræ à Galeno fuisse nuncupatam iterum atq; iterum aduersus omnes id existimantes assero.

asserò. Quòd si dixi, Ciceronem hac uti, non id est intelligendum, quatenus syllogismus quartæ figuræ putauit esse, sed potius argumētum quoddam rhetoricum, quod rhetores Gradationem appellant, quando scilicet, multa sic sumuntur, ut ex primo inferatur secundum, ex secundo tertium, atq; ita quocunq; alio numero, quæ gradatio eadem est cum superiori Aristi. regula, à qua desumpta est. Iam satis superq; monstratum est, Galenum nullam quartam figuram monumentis literarum reliquisse, quinimo dispositionem illam terminorum ab Aristi. esse usurpatam, & re ipsa nihil à prima figura differre, si sumptiones transmutentur, & gradationem à Rhetoricis appellari, quæ Aristi. sepe numero utitur, ideo ne in re satis aperta plus æquo inuoremur, hic de hoc errore finem faciemus.

## ERROR DECIMVS NONVS.

Errant Aristi. interpretes, credentes Aristi. in libris de priori resolutione de syllogismo hypothetico non egisse.



Aristotelis enarratores quotquot sunt, censent: in lib. de priori resolutione non agere Aristi. de syllogismo hypothetico, sed



sed tantum de categorico, cum uerum sit de omni syllogismo agere. Nam Arist. cap. 40. libri primi, ostendit syllogismos ex hypothesi, qua parte necessitudinem habent, uerè esse syllogismos, & ad aliquam trium figuram reuocari, qua autem parte conditione tenentur, nil omnino nisi ex conditione concludere. Si igitur Arist. docuerit non modò hypotheticos syllogismos, sed etiam inductiones, exempla, enihymemata ad syllogismorum tres figuras reuocari, non uideo cur dicant interpretes Arist. de hypotheticis syllogismis nil egisse. Præterea eodem lib. cap. 23. de syllogismo ex hypothesi differit, nõ tamen ita copiose, ut de categorico, quoniam hypothetici, uerius sunt ostensui, licet speciem habeant hypotheticorum, quàm hypothetici. Quid enim interest dicat, si homo est, animal est, an quicunq; homo est, animal est: ergo hoc modo concludere, si Socrates homo est, animal est: atqui homo est, & animal igitur, eandem uim habet, ac si ita concluderes, quicunq; homo est animal est, Socrates autem homo est, Socrates igitur animal. Itemq; illa conclusio. Si statua homo est, animal est, non est autem animal, non est igitur homo: nihil differt ab illo secundæ figuræ syllogismo: quicunq; homo est, animal est: statua autem

tem non est animal, statua igitur non est homo. Eadem ratio est in omnibus conuexis syllogismis, in quibus inest aliqua necessitudo conclusionis: sed & illi quos appellant disiunctos, aut nil concludunt, aut uerius ostensui sunt quàm hypothetici. Nil enim refert hoc modo concludas. omne animal aut rationale, aut irrationale est: homo autem non est animal irrationale, ergo est rationale. Nil (inquam) refert hoc modo concludas, an illo. omne quod est animal non irrationale est rationale, omnis autem homo est animal non irrationale, omnis igitur homo est rationalis. Postremò etiam illi, quos coniuictos appellant, aut nil omnino concludunt, aut uerè ostensui sunt. Hæc enim argumentatio. non est iustum est punire fontes & inutile, iustum autem est, non igitur inutile, nil differt ab illa. nullum iustum inutile est, atque qui punire fontes est iustum, ergo punire fontes non est inutile. Quòd si ita res habet, ut uerius illi ostensui sint quàm hypothetici, non dubium est, quin illi omnes in tribus figuris concludantur. Proinde Arist. de illis differuisse, id tamen breuibus, quòd sub ostensuiis intelligantur. Hinc reprehendendus est Taleus, qui infantiliter pronunciauit Arist. de his syllogismis nihil agere, cum de illis

illis agere ostensum sit, & cur breuiter illud fecisset, exactè absoluerimus. Verùm finem de Talei & Rami erroribus faciamus, quorum equidem hominum errata uniuersa si quis prosequi uellet, nunquam finem sortiretur, adeo omnes ferè pagine erroribus scatent.

## ERROR VICESIMVS.

Illustris ac exquisita medij inuentio, qua breuius quàm fieri solet, omne propositum concludatur: aduersus omnes nostri temporis Dialecticos.

**I**nuentio nihil aliud est, quàm ratio quedam inueniendi argumenta ad id quod propositum est concludendum, accommodata. Hæc autè ratio in hunc modum acquiri potest. Habito proposito causam aliquam perquire, cur ita sit, ut ipso significatur. In quo uox ea, qua in proposito non est, mendium erit. Sit exempli gratia propositum. uirtus est laudanda. Pingamus interrogare nos hominè quencquã etiã ineruditũ, quamobrem uirtus sit laudanda, causam dicam, quia bonum. Vnde sic con-

ficiam

ficiam syllogisimum. omne bonum est laudandum, omnis uirtus est bonum, omnis igitur uirtus laudanda. Si uerò propositum fuerit negatiuum, ut peccatum non est admittendum, causa est, quoniam malum est, conficies ita syllogisimum. nullum malũ est admittendum, omne peccatum est malum: nullum igitur peccatum est admittendũ. Ad hũc sanè modum de omnibus propositis erit iudicandum.

## ERROR VICESIMVS PRIMVS. †

Præclara & luculenta inductionis interpretatio, aduersus omnem Dialecticorum recentium turbam.

**D**vo namq; sunt, quæ Socrati iure proprio tribuat quissiam, inductiuas orationes, & definitionem uniuersalis. Hæc enim ambo principia scientiæ sunt. Verba sunt Arist. lib. 13. primæ phi. cap. 4. Ex quibus licet colligere, Socratem authorem inductionis fuisse. Huius rei causam Aristot. lib. 1. primæ philof. cap. 6. in hunc modum scripsit. Cùm uerò Socrates de moraliibus quidem, de tota uerò natura nihil, in his tamen uniuersale quæretet, et

G primus

primus mentem ad definitiones applicaret, illum ob hoc laudans, putauit de alijs, & non de aliquo sensibilibus hoc fieri. Et lib. 1. de part. anim. hæc ait. Socratis uerò temporibus usus quidem definiendi increuit, sed indagatio rerum naturalium desijt: nam omne philosophandi studium ad utilem uirtutem, ciuilemque usum translatum est. Aristoteles deinde à Socrate inductionem accipiens, eam hisce uerbis lib. 1. topi. cap. 10. definiuit. Inductio est ex rebus singulis ad uniuersas progressio: ut, si optimus est gubernator, qui est eruditus: Si auriga optimus, qui eruditus: in omni re is optimus qui eruditus. Sensus autem huius definitionis hic est. Inductio est argumentatio, qua à rebus singulis ad uniuersas progredimur. Vbi argumentatio genus est, cæteræ partes differentiarum locum subeunt. Hac enim ratione res singule ponuntur, ut ratiocinationem à natura inductionis secernas, quippe ratiocinatio à rebus uniuersis ad singulas tendit. Quod Arist. considerans lib. 2. de priori resolutione. cap. 21. in hunc modum scripsit. Scire autem tribus modis dicitur, nempe aut cognitione uniuersali, aut particulari, aut actu & operatione. Quo in loco per scire in uniuersali, scientiam maioris propositionis intellexit, per scire in particulari =

Et 8. top. 1.  
& 2. pri. 23

particulari, scientiam assumptionis docuit: tandem scimus in actu, quando conclusiones scimus. à rebus igitur uniuersis ad singulas ipsa ratiocinatio proficiscitur. Hinc Aristot. lib. 1. top. cap. 10. dixit. Est autem inductio uerisimiliter, & clarior, & secundam sensum notior, & pluribus communis syllogismus autem ualentior, & ad contradicentes efficacior. Et lib. 2. de prio. resol. cap. 23. inquit: ergo natura quidem prior, & notior per medium syllogismus: nobis autem manifestior, qui per inductionem est. Hic uideo omnem Dialecticorum turbam grauitate inquirere, nū singularia omnia in inductione debeant collocari, an uerò aliqua sufficiant, ut ipsa inductio perfecta euadat. Ego uerò sententiam Aristotelis, testimonio & autoritate Arist. demonstrabo, ut de hac re dialectices studiosis nulla amplius accedat dubitatio. li. 2. de prio. res. ca. 21. ita ait. Est autem. c. intelligendum, quasi quid ex uniuersis singulis compositum, nam inductio ex omnibus efficitur. Et cap. 24. de exēplo uerba faciens, inquit. Ab inductione autem differt, quod ea ex uniuersis singulis, extremum in medio esse consistabat. His etiam Galeni sententia accedit, qui lib. 2. de simp. medicamentorum facult. cap. 40. statuens differentiam inter exemplum et inductionem,

G 2 inquit,

inquit, in exemplo unum uel plura constitui, in inductione autem omnia necessario. Proinde omnibus erit perspicuum in perfecta inductione omnia singularia debere enumerari. At dices singularia hac incerta sunt: ut inquit Aristoteles lib. 1. de demonstratione cap. 3. nullo igitur modo poterunt enumerari, non igitur ex uniuersis singulis fiet inductio. Huc respiciens Socrates apud Platonem in Gorgia in hanc sententiam locutus est. Socr. Quid uerò? qui ea quæ ad fabricam pertinent didicerit, nonne est faber? Gor. Est. Socr. Et qui musicam, musicus? Gor. Ita. Soc. Et qui ea quæ ad medicinam pertinent, medicus, atque in cæteris eodem pacto, quisque didicerit aliquid talis euadit, qualè cuiusque scientia reddit. Gor. Omnino. Socr. Nonne igitur per hac rationem iustus erit, quicumque iusta didicerit? Gor. Maxime. Hucusque Plato. Ex quibus uerbis satis constat, partem, & sic de cæteris, aut aliam fortasse, quorum tamen eadem sit uis & significatio, inductione esse collocandam. Id quod etiam Arist. docuit lib. 1. de demonstratione cap. 1. cuius hæc sunt uerba. Mathematicæ namque scientiæ illo comparatur modo, cæterarumque artium unaqueque. & in præd. cap. 5. maxime uerò (ait) substantiæ proprium &c. & addit, ac in cæte-

cæteris similiter. Et cap. 6. ad finem ait. & de cæteris quæ iam dicta sunt simili modo. Apertius libro secundo top. cap. 2. hoc ipsum docet. & multis alijs in locis. Quòd si quispiam illam partem, & sic de cæteris, neget, docet Arist. cap. 2. lib. 8. top. instantiam esse petendam, quam si non dederit, inductio erit constans ac firma argumentatio. Hinc eos toto celo errare existimo, qui inductionem in constantem, uitosam, & non fidam argumentationem (ipsi consequentiam formalem uocant) dicunt esse. Et si ueram Arist. mentem, & doctrinam legissent, pro cõperto haberent, in omni genere hoc argumenti genus uim habere: & nunquam ut sua opinionem confirmarent, mira quidem monstrata excogitassent, quod neutiquam fecissent, si uim uerborum Aristot. intellexissent. Sed quoniam nescio quo malo fato sit, ut per pauci sint homines, qui ex electis uiris ac doctissimis doctrinam uelint accipere, multi uerò, qui ex turbidis lacunis imbuti, malint tertio quoque hallucinari, quam ueras literas, ueramque doctrinam intelligere. Si enim Aristot. consilium in describendis quibusuis modis aduertissent, fortasse non fidam argumentationem esse inductionem existimassent. utitur enim Arist. elementis, ne quis suspicetur ob materiam propo-

22  
 fitionum ita esse ut dixit. Quocirca cum afferat  
 regulas communes, loco terminorum elementa  
 usurpat, quod quidem eo fecit, ut quisq; qua cupit  
 materiam eligat, & de industria communiter et si-  
 ne materia probationem facit, quoniam communis  
 propositio, & unum exemplum commune debet,  
 & omnibus singularibus confirmari, quod sane in  
 finitum est, & fieri non potest, ut ergo hoc uideat,  
 usus est elementis, uel communi regula elementorum  
 praetextu tradita, cuiq; licentiam exhibet (ut  
 diximus) ut sibi sumat, quam optat materia termi-  
 norum. Quod cum ipsam uteretur in depingenda  
 inductione, nemo dubitabit, inductionem constan-  
 tem & fidam argumentationem esse. Praeterea  
 ipsa inductio omnium scientiarum principia probat,  
 ut cap. 23. lib. 2. de ratiocinatione, ostendit. Quod  
 si hoc uerum est, necessario efficitur, fidam esse illam  
 argumentationem, qua huiusmodi principia  
 probantur. Scio tamen non deesse aliquos, qui  
 principia omnium scientiarum non probare in-  
 ductionem putant. Quos uera Aristot. doctrina  
 deuiare clarum est. Siquidem Arist. lib. 1. Ethic.  
 cap. 7. inquit haec uerba. Principia alia inductio-  
 ne, alia sensu, alia assuetudine, alia alio modo pro-  
 bari. Inductione probantur principia Mathematici

c. 2.

ca, & primae philosophiae, sensu examinantur  
 principia philosophiae naturalis. Hinc intelliges  
 Aristoteli libro primo phy. cap. 2. ubi inquit haec  
 uerba. At nobis ea, quae natura constant, aut omnia,  
 aut aliqua moueri subiiciatur, quod quidem patet  
 inductione. Et lib. 8. phy. cap. 3. dixit. Vniuersa ita  
 quae censere quiescere, & huiusmodi ratione,  
 ipsum posthabendo sensum, imbecillitas est pro-  
 fectio mentis, ac hebetudo. Et lib. 3. celi. ca. 7. inquit.  
 Est autem finis effectiuae quaedam scientia, ipsum opus  
 naturalis autem id, quod semper proprie per sensus  
 apparet. Intelligitur etiam locus apud Arist. lib. 3. de  
 generatione ani. cap. 10. ubi inquit. Quod si quan-  
 do satis cognita habebuntur, tunc sensui magis erit,  
 quam rationi credendum. Rationi etiam fides adhiben-  
 da est, si, quae demonstrantur, conueniunt cum ipsis, quae  
 sensu percipiuntur, rebus. Cui & alius similis habe-  
 tur lib. 7. pol. cap. 7. ad finem. Assuetudine probatur  
 principia moralis philosophiae, unde nomen accen-  
 pit. ut Arist. lib. 1. Mag. Mor. cap. 6. Alia alio mo-  
 do. i. experientia, per quam medicina sua principia  
 probat. Neque solum inductio probat principia do-  
 ctrinae, quae Arist. lib. 2. de fallaci syllogismo cap.  
 ultimo dicit esse maxima in qualitate, & minima  
 in quantitate. sed etiam naturae principia, quorum

G 4 idem

idem proloquium uerum esse Arist. asseruit lib. 5. de gener. anim. cap. 7. Ex ijs itaque clarum est, inductionem constantem & fidam argumentationem esse. Illud tamē hic quispiam obiiciet, cur fieri possit, quōd Arist. describat inductionem à rebus singulis ad uniuersas progressionem, cum ipse alio in loco à rebus uniuersis progrediatur: ut constat ex hac inductione, homo est longæuum, quoniam bile caret: equus est longæuum, quoniam bile caret, & sic de cæteris animalibus bile carentibus. omne igitur animal carens bile longæuum erit. Auget etiam difficultatē, hos terminos Arist. singulares appellare. Huic ita occurrendum est, nomen singularis apud Aristotelis doctrinam bifariam solere usurpari. Aliquando significat id quod indiuisibile & unū numero est, de quo dixit Aristoteles lib. 1. de ratiocinatione cap. 28. Singulare & sensibile de nullo prædicatur. Aliquando speciem significat. Hinc intelliges Aristot. lib. 2. de demonstrat. cap. 14. ubi inquit, Facilius est autem singulare, quā uniuersale definire. Quæ cum ita sint, nomen singularis, in definitione inductionis, et indiuiduum, & speciem significat: ut sit sensus. Inductio est ab inferioribus ad superiora progressio. Neq; hic possum me cōtinere, quominus. Lau

ren=

rentiū Vallā reprehendam, qui lib. 3. sue dialecticæ. cap. 58. ex particularibus uniuersale probare non posse, existimat. Quod quantū à ueritate alienum sit, statim erit manifestū, cum authores ipsius inductionis audierimus. In Phædone hunc in modum Cebelem interrogat Socrates: Ergo utrum necessarium est, cuiuscūq; aliquid est contrarium, nullo modo aliunde id, quā ex suo contrario fieri, uelūti quando quod maius efficitur, necesse est ex eo quod antè fuerat minus, postea à maius euadere? Ce. Ita est. Soc. Nonne & si quid minus fiat, ex eo quod antè maius erat, postea fiet minus? Ce. Sic omnino. So. Quin etiā ex robustiori debilius, ex tardiori uelocius. Ceb. Prorsus. So. Quid uerò si quid euadat deterius? nonne ex meliori? & si iniustus, ex iustiori? Ce. Quid nī? So. In omnibus igitur satis id exploratum habemus, omnia ita fieri contraria uidelicet ex contrarijs. Quem in modū & Cicero in oratione ea, quam dixit pro lege Manilia, probat in Pompeio omnes res eas messe, quæ in summo imperatore exigantur, propter ea quod in eo insit sciētia rei militaris, quod uirtus, quod authoritas, quod felicitas, quæ utiq; inductio est, & quidē ab speciebus ad genus. Quibus Arist. suffragatur, qui lib. 1. primæ phi. ca. 1. cognitiōem

G 5

uniucr=

Idē. 1. post.  
3. et in præ.

idem. 6.  
eth. 7

uniuersalium p̄dere ex singularibus dixit. Et lib. 8. top. cap. 1. Inductionem esse utilem ad uniuersale inquirendum. Inquit etiam Valla, omnem inductionem habere interrogationem, propterea quod Socrates, qui author inductionis fuit, ea semper usus est. Quod autem Socrates apud Platonem ferè interrogationibus utitur, id non ea de causa facit, quod omnino aliter inductio fieri nõ possit, sed quod eiusmodi ratio elocutionis maxime sit apta dialogis. Proinde cum ij errores, quemadmodum alij non pauci, ex inscitia, & maleuolentia Valla appareant: cogitent optimi quicq; quam necessaria sit Arist. doctrina, & in ea intelligenda summus labor, quo certè nisi instructus ueram Dialecticam accesserit, non est, quod non multis errorum labyrinthis inuoluatur. At non est, quod isti male dico persudam, qui ferè semper meliora intercidere solet, atq; in corudè locu pessima irrepere.

## ERROR VICESIMVS SECVNDVS.

Perperam, ac præter decorum Dialectici iuniores contendunt, duas contradicentes posse esse simul falsas, in propositionibus (quas ita barbarè appellant) insolubilibus.

V



T errorem huc certius deprehendere queat studiosi, re ab ono (ut dicitur) repetemus. Protagoras Abderites fuit, Meandri filius, qui in Græcia plusquã quadraginta annis docuit: ut ait Plato in Menone: primusq; mercedem docendæ sapientiæ exegit, & centum minas à singulis discipulis petebat: ut copiose Diogenes lib. 9. de uita Philosophorũ enarrat. Licet Arist. lib. 9. Ethic. cap. 1. dicat, solere Protagorã atheos, quos in philosophiã suo labore, uel industria prouexerat, illos mercedis iudices facere, ut quantum quisq; se proficisse agnosceret, tantum persolueret. Verba Arist. hæc sunt. Nã qui dat, uidetur illi permittere, quod quidem & Protagoram fecisse aiunt. Cum enim docuisset ea, quæ profitebatur, discipulum astitare iubebat, quanti ipsi uiderentur ea, quæ sciret, & tantũ accipiebat. Item inquit Diogenes, Euathlũ ab eo decem millibus denariorum artem dicendũ didicisse. ut latius Fabius libro. 3. cap. 1. recenset. Cuius pecuniæ dimidium pactus erat se persoluturum cum primũ causam aliquam in foro egisset, & uicisset: quod cum tardius faceret, Protagoras eum in iudicium uocauit, in eumq; Dilemma cõtorfit, in quem Euathlus aliud dilemma etiam repentè

penitē retorfit. ut abundantius enarrat Gel. lib. 5. cap. 10. Vnde constat Protagoram Dilemmatis inuentorem fuisse, quod recentes Dialectici tantō auxerunt, ut suas ineptias amplius extenderent, quantō uix potest dici, quā barbarē, ne dicant stultē, multa circa hoc negotium congefferunt. Primum uocem barbaram à natura suarum translationum desumptam inuenerunt, ut id quod ex se clarum est, nouis nominibus obscurum redderent. Argumentū enim Protagorae insolubile uocant quasi dissolui nequeat. Cuius occasione duas simul falsas contradicētes cōcedunt: quo nihil absurdius in omni doctrinarū genere reperiri potest. Quid? si intellectus hominis id nullo modo prestare ualeat: cur eos id ipsum facere sua arte conentur? Hinc ergo eos intellectu carere, unus quisq; nisi talpa cæcior sit, iudicabit, cum ea quæ ab humano intellectu capi nequeunt, ipsi pro uero admittunt. Inter politoris lingue peritos, nō desunt, qui Dilemma syllogismum cornutum appellent. Quapropter dilemma in hunc modū definiunt. Est argumentum cornutum, in quo duobus propositis, quodcūq; eligas, capiere. Cuius rei exemplum scripsit Gel. lib. 18. cap. 2. in hunc modum. Cum mentior et mentiri me dico, mētor an uerū dico?

dico? Alij dilemma, complexionem dicūt: propter ea quōd res dissentaneas complectatur, & ex utraq; parte cōtraria capiat aduersarium: horū princeps fuit Cicero, & qui complexionem ita Libr. 1. de definit. Cōplexio est, in qua utrūuis concesseris, inuētionē reprehēditur, ut: aut iniurius erga te fui, aut non fui, si iniurius fui, cur me in ius non uocas? si non fui, cur me te lesisse passim blateras? Habes & complexionis multa ac lepida exempla apud Gellium lib. 6. cap. 13. & Erasum in libello de generibus argumentationum rhetoricarum, ideo illis hic supersedendum est. Illud tamen preterire nō possum, quod ab Lactantio Firmiano lib. 3. de falsa sapientia cap. 6. in hunc modum scribitur. Quidam, inquit, somniauit admoneri se à quodā, ne somnijs crederet. Si nō credit hic somnijs, credit somnijs, quia huic ipsi somnio credit: si credit somnijs, non credit somnijs, quia huic non credit. Vides exquisitam hanc & eximiam complexionem esse, ideo eam scribere placuit. Neq; aliud omissum faciam, quod Arist. lib. 2. Rhetor. cap. 23. memoriæ mandauit in hunc modum. Socrates nō sinebat filium habere orationes, inquit, si iusta loqueris, hominibus eris inuisus: si iusta, Dijs. Quid? pratermittam ne Biantis responsum apud Gellium



Gellium libr. 5. cap. 11. Nam cum rogatus esset à quodam Bias, deberet ne uxorem ducere, an uitā uiuere celibem: aut pulchram, inquit, duces, aut deformem. Si pulchram, habebis communem: sin turpem, habebis poenam: neutrum autem bonum: Non est igitur ducenda uxor. Sic autem hoc responsum conuertunt, Si formosam ducam, non habeo poenam: sin deformem, non habeo communem: ducenda igitur uxor. Responsum hoc Cōuersio seu reciprocatio dicitur, qua complexio diluitur: est enim conuersio Dilemmatis dissolutio. Atque omne dilemma conuertendum esse Gellius putauit, ideoq; Plinium lib. 9. cap. 16. noctium atticarum carpsit, quod complexionem quandam nō uiderit posse conuerti. Plinius secundus (ait) existimatus est esse ætatis suæ doctissimus. Is libros reliquit, quos studiosorum inscripsit, haud mediusedius usquequaq; aspernandos. In his libris multa uariè ad oblectandis eruditorum hominum aures ponit. Refert etiam plerasq; sententias, quas in declamandis controuersijs lepidè arguteq; dictas putat: Sicuti hanc quoq; sententiam ponit ex huiuscemodi controuersia. Vir fortis præmio, quod optauerit, donctur. Qui fortiter fecerit, perijt alterius uxorem in matrimonium, & accepit.

is deinde, cuius ea uxor fuerat, fortiter fecit, repetit eandem, contradicitur. Eleganter (inquit) & probabiliter, ex parte posterioris, uiri fortis, uxore sibi reddi postulantis, hoc dictum est: Si placet lex, redde, si non placet, redde. Fugit autem Pliniū sententiolam istam, quam putauit esse argutissimā, uitio non carere, quod Græcè ἀντιπαράδοξον dicitur. Et est uitium insidiosum, & sub falsa laudis specie latens. Nihil enim minus conuerti ex contrario id ipsum aduersus eundem potest, atq; ita à priori illo uiro forti dici: Si placet lex, non redde: si non placet, non redde. Hactenus Gellius, qui omne dilemma conuertendum docuit. Cicero in rhetoricis rationem confutandi Dilemmata docuit: partim cōuersione, partim alterius partis reprehensione. Iā ad nostrates Dialecticos nostra se conuertat oratio: ipsi enim per uerū ac falsum ad huiusmodi argumenta solent respondere: neq; id temerè, propterea quod id muneris Dialectica præstat. Optime igitur id quod artis est, Dialectici exercent. Inter quos Petrus Hispanus nesciens his complexionibus satisfacere, duas contradicentes simul falsas non ueritus est concedere, quem omnes eius enarratores sequuntur. Hinc dicunt, proloquium illud Arist. de quolibet est affirmare uel negare, in omni

omni enunciationum genere uerum habere, præterquam in reflexiuis (sic eas nominant, propter ea quod de se loquantur, & in seipsas reflectant, ueritatem aut mendacium) idq; probant ex eodem Arist. lib. 4. primæ phi. cap. ultimo: cuius hæc sunt uerba. Accidit autem (quod etiam publice fertur) his omnibus orationibus eas seipsas perimere. *Que enim omnia uera dicit, contrariam quoque sibi orationem ueram facit: quare suam ipsius nõ ueram: contraria namq; dicit eam non esse uerã: quã uerò omnia falsa, & hæc seipsam.* Tantum Arist. Ex ijs Arist. uerbis non uideo quomodo ipse sentiat duas contradicentes in falsitate consentire: cum ipse ex propria sententia non loquatur: sed ex aliorum placitis, sequi illas contradicentes falsas, doceat. Et nihil mirum, nam si id quod antecedit fieri nequit, cur secundum impossibile non eua det? impossibile autem est omnia simul uera, aut falsa esse, proinde quod impossibile est, sequetur: nimirum duas contradicentes simul falsas. Vnde si quis aliquas positiones, quæ fieri nequeunt, proponat, nullo pacto admittendæ, ne fortasse sub ueri aliquo specimine impossibile aliquod concedamus: sub ueri (inquam) specimine, quoniam conditionem illã. l. in illa. ff. de uerborũ obligationibus.

si

si cœlum digito non tetigeris, non impossibile negatiuã, sed rectius necessariam cõditionem dices: ut doctissimus Andreas Alciatus, diligentissime lectionis, & exquisiti iudicij uir, lib. primo parergõ iuris cap. 18. scriptum reliquit. Si uerò id quod proponitur fieri possit, tunc utemur Aristot. doctrina, quam docuit lib. 2. elench. cap. 5. ubi aliquot dilemmata diluenda proposuit. Vnum est, iurauit quidam se peieraturum esse, rogo, an is persciens iuramentum bene iuret, an non? in utranque partem rationem conficies: quicumq; absoluit iuramentum, bene iurat: is peierando absoluit iuramentum, is igitur bene iurat. Item qui se peierat, non bene iurat, is ita fecit, non igitur bene iurat. Huic & alijs huiusmodi Arist. occurrit, illum bene secundum partem iurare, non bene in uniuersum. Distinctione ergo proposita totius ac partis omnibus complexionibus illo in capite conscriptis Arist. respondet. Quæ propter mirari non desinã inscitiam eorum, qui mille nugas in hoc negotio inculcant, & ad nauseam usq; plusquam mille tenebras scribunt. Animo igitur expendat iam studiosi ueritatis, quantæ in Petro Hispano & alijs multis, quorum nomina perpetuò tacenda censeo, subsint tenebræ: quantæ deniq; errandi occasiones,

H quan-

quantum uix duæ pagine sint, in quibus huiusmodi homines mox sibipugnantiæ non scribant: quod utinam aliquando animaduertant, qui eosdem satis temerè amplectantur.

## ERROR VICESIMVS TERTIVS.

Errat Nuneſius Valentinus, propterea quòd ſyllogiſmum, inductionem, enthymema, ac exemplum ſpecie non differre, crediderit.



Ibi equidem illud inquisitione quàm diligentiffima dignum uidetur, cur nã Nuneſius, quum cætera quæ ad facultatem differendi mediocriter pertraçaret, ac circa minima quæq; nimium curioſus eſſet: de ſpeciebus argumentandi tam malè iudicare uideretur, quòd formas argumentationum ſpecie non differre crediderit: id quod ex ſuis ſcriptis intelliges, quæ ſic ſe habent in libello de conſtitutione artis dialecticæ. Exiſtit hoc loco quæſtio, nam quatuor ſint ſpecies argumentationum diuerſæ: ſyllogiſmus, Enthymema, inductio, & exemplum. Et ſubiunxit: ſpecies cæ non ſunt diuerſæ inter ſe. Quapropter ut noſtræ hæc controuerſia clariùs

clu-

eluceſcat, hunc ordinem obſeruabo. Primum rationes Nuneſij adducam, deinde noſtram ſententiam muniemus, idq; rationibus, et Ariſt. teſtimonijs urgentiſſimis: atq; tandem rationibus aduerſarij quàm breuiter ſatisficiam. Prima Nuneſij ratio. Species rerum diſtinguuntur per formam, non per materiam: quod axioma conſeſſum eſt ab omnibus philoſophis: forma autem argumentandi in his omnibus eadem eſt: ergo non differunt ſpecie. Probat ipſe aſſumptionem, quoniam in his omnibus eſt collocatio medijs cum utraque parte quæſtionis. Alia ratio. Nulla ſpecieſ fit ex contraria ſpecie: ſyllogiſmus autem fit ex inductione, ut docet Ariſt. & uiciſſim inductio ex ſyllogiſmo, et ſyllogiſmus fit ex Enthymemate, & Enthymema ex ſyllogiſmo, & exemplum ex duobus ſyllogiſmjs, & duo ſyllogiſmi ex exemplo: quare non ſunt ſpecies inter ſe diuerſæ. Extremum argumentum. Cuius quidq; genus eſt, ab eo non differt ſpecie: ſyllogiſmus autem aſſertur ab Ariſt. primo priorũ in definienda inductione tanquam genus inductionis, & prima oratorio tanquam genus Enthymematis: ergo non differt ab his ſpecie, quare non ſunt ſpecies inter ſe diuerſæ. Hæc ſunt potiſſima argumenta Nuneſij, quibus ſpecies argumentatio

H 2 nis

nis non esse diuersas existimat. Quæ quantum momenti habeant, in ipsorum solutione quisq; iudicabit, atq; ex partis aduersæ & ueræ probatione, quam hac conclusione præmissa, explicandam aggreddior. Ex Arist. placitis species argumentationis sunt specie differentes, quemadmodum species cuiuslibet generis. Primum omnium in hoc uno conueniamus, syllogismum, inductionem, exemplū, & Enthymema, species argumentationis esse, ut constat ex Arist. lib. 1. top. cap. 10. cuius hæc sunt uerba. Determinatis autem his oportet diuidere, quot dialecticarum disputationum sunt species: est autem inductio quidem hæc; illa autem syllogismus. Dialecticarum dixit, quoniam Enthymema & exemplum magis ad rhetoricum spectare uideatur: ut ipse Arist. lib. 1. rhet. cap. 1. & 2. docet. Item species sunt, quæ sine aliquo medio generi subiiciuntur: atqui illa quatuor disputationi seu argumentationi subiiciuntur, species igitur argumentationis erunt. His ita expositis, iam in hunc modum ago. Species cuiuscunq; generis per formam distinguuntur: ut Arist. lib. 7. prime phi. cap. 13. ostendit: sed formæ arguendi sunt diuersæ, quoniam à toto ad partem syllogismus concludit: inductio à parte ad totum: exemplum à parte ad partem: quemadmodum

actus separatur: inquit.

dum lib. 2. De priori ref. cap. 24. his uerbis docet Arist. Manifestum ergo quoniam exemplum est neq; ut totum ad partem, neq; ut pars ad totum: sed ut pars ad partem &c. Id apertius lib. 1. rhet. cap. 2. ijs uerbis dixit. Exemplum autem quid sit, & quid inductio sit, & in quibus uerfetur inductio, dictum est. Est enim neq; ut pars ad totum, neq; ut totum ad partem, sed ut pars ad partem, si mile ad simile &c. Species igitur arguendi diuersæ sunt. Item una species non est eadem alteri, sed necessario specie different, aut igitur forma arguendi est una, aut plures. Primum non dices, cum tibi Arist. manifestò reluctetur. Si plures esse concedas, ut uerum est, quoniam modo crūt plures, specie non differentes? nunquid genus harum specierum, argumentationem esse, negas? quod si genus est, de pluribus differentibus specie dicitur. Formæ ergo arguendi specie differunt. Quæ quæ so unquam hæc, maior poterit esse perspicuitas? quæ ratio apertior? quæ tandem ratiocinatio euidentior? Iam igitur te uideo nobiscum sentire, & rationes nostras laudare, & te mecum in hunc modum loqui. Age Lemosi, ne ab inceptis desistas, & aliis rationes, si habes, in medium proferre non dedigneris, ut intimius id quod uerū doces, cognos

scamus: atque tandem tecum nos sentientes, ueritam ipsam amplectabimur. Ego uerò ne longius tempus conteram, id paucis praestabo. Formae arguendi non sunt diuersae: erunt igitur eadem. Iam rogo, aut sunt eadem genere, aut specie, aut numero? Si in omnibus dicas conuenire, facile te conuincam. Ea quae sunt eadem numero sunt eadem proprietate, ut Porphy. cap. de specie docet. atqui formae arguendi non habent eandem proprietatem. non igitur numero conueniunt. Assumptione probo. Proprietas syllogismi est, ut fiat, in prima, aut secunda, aut tertia figura: huiusmodi enim dispositiones ex natura & essentia syllogismi dimanant, & cum syllogismo reciprocantur: at ceteras arguendi formas hanc affectionem non habere, quis non uidet: non sunt igitur eadem numero. Quod si dicas, easdem numero differre, et specie conuenire: id minus bene dictum. solum enim indiuidua unius speciei numero differunt: at indiuidua duarum specierum, & numero & specie. Nunc autem quid à ratiocinatione inductio differat, dicamus. Tribus quidem modis inter se differunt. Vno, quod ratiocinatio non probat primas propositiones, inductio uerò ad eas adhibetur. Secundo, quoniam ratiocinatio natura notior est, inductio uerò

2. pri. 13

rò sensui: itaque inductio semper à rebus singulis aut angustius patentibus ad res uniuersas & latius patentibus peruenit: ratiocinatio à rebus latius patentibus ad angustiores. Tertio, quod ratiocinatio primum uerbum tertio conuenire, aut non conuenire docet medijs interuentu, inductio autem tertij interuentu, uel primum medio coniungit, uel ab eo dirimit. Has differentias colliges ex capite uicesimo tertio. libri secundi de priori resolutione: atqui ex cap. 24. & sequentibus discrimen inter omnes arguendi formas intelliges. Mihi sane dies deficiat, si uelim contra Nuncium uirum doctum aliquid agere, uerum cum ueritas nullius causa sit deferenda, & ea nihil antiquius habeam: amore huius impulsus, in huiusmodi palestram non ueritus sum descendere. Atque, ut id, quod postremo loco polliciti sumus pertractare, absoluiamus, rationes Nuncij diluamus. Prima ex nostra prima ratiocinatione diluitur. Propositionem secundae distinguo, quando ait, nulla species fit ex contraria specie, uel secundum formam id intelligit, quod planè fateor: uel secundum materiam, quod falsum est. Hinc intelligetur Aristot. libro primo rhet. capite tertio. ubi inquit. Nā syllogismus uniuersaliter ex propositionibus est: Enthymema uerò

H 4

rò

intelliges. 1<sup>o</sup> rō syllogismus ex dictis constans propositionibus.  
post. 1.

Quid clarius? semper enim uerbum, ex materia respicit, unde ex materia, ex qua syllogismus fit, conficietur etiam enthymema. Hinc etiam, ultimam rationem friuolam esse existimabis, non enim una species per alteram definitur, quin potius materia unius, alterius quoque erit. Multa de hoc dici possent, sed hæc sufficere arbitror, quibus in meam sententiam Nunsius deueniet, aut meliora ostendet: homines sumus, & falli, & fallere possumus.

## ERROR VICESIMVS

## Quartus.

Non aliquis, ex Aristotelis sententia, idem declarat quòd, aliquis non, contra omnes nostri temporis Dialecticos.



Tsi in nostris commentarijs ad lib. 1. de interpr. capite sexto, de enunciationibus idem efficientibus plura diximus: attamen quia aliquos cognoui, qui à sententia communi discedere, nefas esse existimant: ideo hic manifestum hunc errorem resu-

tdm

t abimus, ut luce clarius, ipsos aberrare, cognoscant. Sententia communis totius scholæ est, negationem alicui notæ prepositam enunciationes alioqui contradicentes recurrere, facere: ut, non omnis idem declarat, quòd, aliquis non, & non aliquis, idè docet, quòd, omnis. Hæc ita amplectuntur, ut piaculū ducant, ab hac uel lato ungue deuiare: cum neque ratione aliqua euidenti, neq; testimonio aliquo Arist. id ratum sit. Quod aiunt, non omnis, alicui non, equiuale re uerum est: propterea quòd Arist. lib. 1. de priori resol. cap. 5. in hunc modum scribat. Et si M, N, omni quidem inest, X, autem non omni, erit syllogismus, quoniam non omni X, inest N. demonstratio autem eadem. Hoc in loco consilium Arist. est, doctre eundem syllogismum fieri ex uerbis, non omni, atqui ex uerbis alicui non, unde uerba illa idem efficere, iudicabis, idè; etiam multis exemplis in toto de resolutione opere curiosus inueniet. Verum, non aliquis, non alicui idem non efficit, omnis, quin potius, aliquis non, quòd, alicui non, b. a. d. c. semper apud Arist. seruatum reperio. libro enim primo de priori resolutione capite primo ita inquit. Particularem uerò, cum alicui, aut non alicui, aut non omni inesse. Et capite octauo. libri secundum ait. Dico autem opponi quidem, omni inesse

H 5 esse

Idem. 6.  
eth. 7

esse, non omni, & alicui nulli: contrariè autem omni, nulli, & alicui, non alicui inesse. Et cap. 15. eiusdem libri. Dico autem oppositas esse propositiones secundum locutionem quidem quatuor: ut omni, nulli: & omni, & non omni, & alicui & nulli: & alicui, & non alicui inesse. hæc Aristoteles. Caueant itaq; posthac Dialecticæ candidati, ne pro, non alicui, apud Aristotelem, omnis, intelligant. At relinquamus ista ueritatis exquisitoribus diligentius pensitanda.

## ERROR VICESIMVS

quintus.

Quibus logica, & omnes scientiæ comparantur exemplo Hippocratis docetur. Item taxatur Taleus, quod Aristotelem diuisionem Dialecticæ prætermisisset, monumentis literarum reliquerit.



Incipit fortasse quispiam, quod Hippocratem medicorum sine controversia principè, ad nostram differendi facultatem adduxerim: neque est, quod admirationè aliqua capiatur, si cognouerit Hippa-

Hippocratem doctrinæ certæ, ac sanæ authorem extitisse: neq; à rectis philosophandi scopis, ac methodis aberrasse. Quapropter cum ipse plusquam quibus aliis ueritatè amplexatus fuerit, ac docuerit, meritò dignus est, qui ab omnibus laudetur, ac decantetur. Is itaq; in libello, cui nomen indidit, Lex, quedam præcepta docet, quibus quis scientiam aliquam cõparare sibi possit. Verba eius hæc sunt. Quisquis enim medicine scientiam sibi uere comparare uolet, cum his ducibus uoti sui compertem fieri oportet, natura, doctrina, loco studijs apto, institutione à puero, industria, & tempore. Hæc Hippocrates. Primum omnium (ait) natura opus est. Cuius rei statim ipse causam scripsit: quoniam natura repugnante, irrita omnia fiunt. Quid enim prodest doctrina? quid locus studijs aptus? quid à puero institutio? quid industria? quid deniq; tempus: si natura omnibus istis relictetur? At si natura adsit, dein cetera accedat, proculdubio compositus sui uoti in quavis scientia consequenda, quis exadet. Per naturam autem intelligo, quandã animi præoptitudinem, ac rationis uirtutè, qua quisq; abundas altero ad literarum studium procliuor ac propensior est. Volo autem id clarius demonstrare. Nihil enim aliud hic naturam Hippocrates appellauit,

appellauit, quàm uiam quandam ac impetū mentis ad ratiocinandum: aut ad quascunq; actiones absoluendas. Quemadmodum cōuenire statim ab ipso ortu animalibus à nullo edoctis inest, item ambulare, atq; alia multa id genus facere, quorū exemplum præclarum, Galenus lib. 6. de morbis uulgaribus. Cōm. 5. sect. 4. tibi in hūc modū ostendit. Vidistis itaq; quum capram, quæ in utero habebat, uiuentem adhuc dudum dissecares, foetum ab ea ligata extractum quemadmodum humi depositus cœperit quatuor pedibus incedere, quum nullus tamen ipsum docuerit, ea membra esse corpori ambulationis gratia subiecta: qui etiā paulò post humorem superfluum, quo cutis exterius circumcirca conspersa erat, excutiebat, & mox iterum pede uno costas scalpebat. Vnde uos omnes, qui eratis presentes, exclamauistis, primū quidē quòd ipse, nullo id docente symptomati remediū inuenierit, deinde quòd id per hoc membrum tantummodo fieri possit, ac tertio quòd per hunc modum. Hinc Hipp. eodem lib. tex. 2. Natura (dixit) sibi ipsi aditus patefacit non cogitatione, quum inerudita & indocta opportuna efficiat. Et Gal. in cōm. ait. qui uerò disciplinā didicere, in ea eruditi dicuntur. Natura uerò id habet, ut maximis

rebus,

rebus, citra hoc ut doceatur, sit erudita: quod de Themistocle testatus est Thucydides. Sua sibi peculiari intelligentiæ perspicuitate nihil eorū, quæ ad ipsam facerent edoctus prius, neq; etiam posterius, breuissimo consilio, illico præteritorum congnitor præstantissimus erat, & eorum quæ etiam procul admodum uentura erant optimus cōiectator. Itaq; cognosces, homines naturam quandam habere, ad actiones omnes facillimè obeundas. Huc respiciens Arist. lib. 8. de histo. anim. cap. 1. in hæc uerba prorupit. *Vt enim in homine ars, sapientia, prudentia: sic in nonnullis brutis inest uis quædam eiusmodi altera naturalis.* Constat hoc ita esse planè argumento puerilis ætatis, in qua futurorum habitum quasi uestigia & semina uideris: & tamen per id tempus nihil animam hominis differre à belluarum anima propè dixerim. Constat igitur hominibus quandam naturalem ad sciendum promptitudinem inesse, ut bestiis naturam ad sua obscūda munia omnibus numeris absolutā. Vnde Arist. lib. 1. primæ. Ph. cap. 1. uerbis disertis, omnes homines natura scire appetere, memoriæ mādauit. Quocirca hoc ego tibi persuadeo, peculiariùs esse homini disciplinæ susceptiuum, omnibus alijs affectionibus, quas ipsi tribue-

Vt ues ad uolandum, ita homines ad sciendum. Quint. lib. 1. cap. 1.

re



re solēt. Inuestigās enim Arist. lib. 1. Ethic. 7. et. 10. Eth. 7. hominis finem nullū aliū nos docuit, quā ipsum scire: & proinde lib. 1. rhet. cap. 1. ad ueritatem adipiscēdam nos natos esse ausus est pronuntia re. Si enim tu affectiones hominis ex miscella corporis, et anime rationis capacis pendere, credis: quid magis miscellā illā respicit, amore scientiarum? Quid ergo? Si hæc natura omnibus hominibus inest, cur eā inter requisita cōparandi disciplinas, cōstituis? Si omnibus cōmunis, nemini peculiaris: omnes igitur sine discrimine sciētes erunt, si alia huic adiungātur. Id certe uerū esse fateeris, si oēs eadem temperatura fuerēt, quæ propter ex parte corporis, non omnibus æqualem esse ad sciendū promptitudinem existimo: alij enim alijs præptiores sunt. Hinc est, quod Arist. lib. 2. de anima cap. 9. hæc dixerit. Indiciū autem est, in hominū genere ob hoc instrumentum sensus, ingeniosos esse, hebetesque, non ob aliud quicquā. Qui namque sunt duri carne, ij sunt inepti mēte. Qui uerō sunt molles carne, ij sunt ingeniosi, menteque dextri. Et libello de physiognomia de carne uerba faciens, inquit: Caro autē dura quidē, et habitus boni, infensibilem significat: mollis autem & ingeniosum, et instabilem, nisi in forti corpore, & habenti extre-

mitates

mitates fortes hoc accidit. Quod Gal. lib. de natu *galini Sententia* ra humana cōm. 1. enarratione. 47. his uerbis clariū docuit. Hoc itaque sic constituto, animi quidem acumen & dexteritas à bilioso humore prodibit: ab atra uerō bile constantia, & stabilitas: à sanguine simplicitas ac stoliditas: ut pituita ad formandos mores inutilis sit. Hinc & libram edidit, cui nomen fecit, de animi morum, & corporis rei temperamenti mutua consecutione. Hæc omnia Arist. perpendens. 30. sect. prob. quæstione. 1. id merito rogauit. Cur homines qui ingenio claruerunt, uel in studijs philosophiæ, uel in republica administranda, uel in carmine pangendo, uel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuisse uideamus? & alios ita, ut etiam uitij atræ bilis infestarentur, eum inter heroes de Hercule fertur: hic enim ea fuisse natura putatur, & morbum cōmittalem sacrum ab illo, & Herculeum præsci nominare. In pueris quoque motio mentis idem hoc explicat, & eruptio ulcerum, quæ mortem interdum antecedit, id enim plerisque atræ bile constitit. Et Lysandro Lacedemonio proximè ante obitum genus id ulcerum emersit. Adde Aiacem, & Bellerophontem, quorum alter penitus ad insaniam prorupit, alter loca persequatur deserta

ferta. Vnde illud Homeri.

At hic quādo etiā grauior dijs omnibus errat,  
In campos solus latos, inq; auia rura,

Ipse suum cor edens, hominum uestigia uitans.

Quinetiam plerofq; alios ex Heroum ordine morbo eodem laborasse compertum est. Annis uerò posterioribus Empedoclem, Socratem, Platonem, & alios complures uiros insignes hoc fuisse habitu nouimus, atq; etiam partem ordinis poetarum ampliorem. Et ad finem quæstionis ait. (nā quæstio proluxa admodum est) hinc efficitur porro, ut melancholici omnes non per morbum, sed per naturam sint ingenio singulari. Doctissimus Angelus Politianus in suis miscelaneis cap. 90. quæstionem illam interpretatur. Dexteritatem ergo mentis, & ingenij acumen, oportet habere uolentem sibi scientias comparare, hancq; latiorē uel angustiorē, ex hac uel illa corporis temperatura proficisci, ex retro dictis omnibus peruium relinquitur. Cæterum post hæc rogarem in uniuersum, num homini natura uis insit iudicandi, quæ sermones ueros discernat à falsis, an potius ars quædam & ratio sit utrunq; cognoscendi. Si natura, quæ sit ut non omnes inter nos consentiamus, neq; similiter iisdem de rebus pronuntiamus?

Sin

Sin ars est ac ratio, hæc omnium primum erat discenda. Ego uerò dico, uim inesse hominibus à natura iudicandi inter uerum et falsum: ideoq; Aristoteles quendam nobis inesse Dialecticam, ac rhetoricam à natura insitam existimauit: ut ex suis scriptis lib. 1. rhet. cap. 1. omnes intelligent. Rhetorica dialecticæ æquipollet: nam de ijs utraq; que est, quæ omnium quodammodo communia, & nullius determinate scientiæ esse cognoscuntur. Quapropter omnes etiam utriusq; aliquo modo participes sunt. Quippe omnes aliquis que tum quærere ac reddere rationem, tum descendere, & accusare conantur. Et lib. 1. Elenchorum cap. 11. Itaq; ait, omnes illiterati quodammodo utuntur dialecticæ, & tentatiua. Nam omnes usq; ad aliud quid conantur diiudicare eos qui pronuntiant. Quid solum Dialecticam & rhetoricam Arist. commemorat? nonne & diuina theologia nobis à natura insit? nonne medicina? non naturalis philosophia? non mathematica? Omnes enim cuiuscunq; nationis gentes Deum esse testantur. Vnde Arist. lib. de mundo ad Alexandrum in hunc modum scripsit. Itaq; uetus fama est, & quidem hereditaria mortalium omnium, uniuersa à Deo, & per Hiit. cap. 6 Deū nobis esse constituta. Neq; uerò ulla natu-

I ra

ra per se sufficit orbata salute, quam ille ferat.  
 Quapropter veteres nonnulli adducti sunt, ut di-  
 cerent hæc omnia decorum esse plena, id est, quæ  
 oculis obuersantur, quæ fama, & auditione acci-  
 piuntur, quæ deniq; omni alio sensu compræben-  
 duntur: cum uerba huiusmodi accommodent, quæ  
 diuinæ quidem potestati conueniant, sed ab illius  
 naturæ longè aliena sint. Id autem quod Aristot. à  
 ueteribus esse dictum, scripsit, ad Thaletem ipse re-  
 fert, ut ipse enarrat lib. 1. de anima cap. 5. & Ara-  
 tum, ut ex principio suæ apparentiæ constat.  
 Deum igitur esse nemo est, qui ignoret. Vnde Eu-  
 sebius dixit: Non querendum est an dii sint, sed  
 protinus credere præstat. Nam quæstione propo-  
 sita etiam ille qui impiissimam opinionem de-  
 fendit, nempe deos non esse, superare conatur.  
 Medicinam etiam nobis iuesse, bruta animalia ti-  
 bi ostendunt, quæ ad suos morbos propulsandos;  
 herbas, & alia querunt, quibus sibiipsis medean-  
 tur. Quid ergo homines facient, omnium anima-  
 lium prudentissimæ? Atq; ut semel dicam, in omni-  
 bus scientijs id uerum esse reperies. Hinc multi  
 sunt homines, qui sine doctrina in literis clarue-  
 runt: ut Hippocrates in medicina, cuius meminit  
 Plinius lib. 26. nat. hist. cap. 1. in musica Amphion;

in

in astrologia Milesius Anaximander: in diuina-  
 ne Temistocles: in historia, Cadmus Milesius: &  
 ita multi in diuersis rebus magnum nomen merue-  
 runt, quod sine doctrina res arduas sibi compara-  
 runt. Verum quando natura ad huc finem perue-  
 nire non ualeat: necessaria est doctrina: ut suppleat  
 id, quod natura deest. Omnis enim ars, & disci-  
 plina implere uult id, quod deest nature: ut Arist.  
 7. pol. cap. 17. inquit. Et in quæstionibus mechani-  
 cis: arte enim superamus eam, à quibus natura uin-  
 cimur. Quod Simylus poeta animaduertens, hæc  
 scripsit.

Necq; natura sine arte sufficit  
 cuiquam omnino quocunq; in studio  
 Nec ars per se sine præsidio nature.  
 Quod si ista duo similiter conueniant  
 unâ, adhuc desiderantur sumptus,  
 amor, exercitium, opportunitas, tempus,  
 Iudicium, quod dicta statim arripiat & intelligat.  
 Nam quocunq; istorum quispiam destituitur,  
 non assequetur institutum sibi terminum.  
 Natura uoluntas, diligentia, ordo,  
 sapientes faciunt, bonosq; utros: Annorum uerò  
 numerus nihil præter senectutem parit.

Quocirca Hippocrates superioribus adiunxit: Si

I 2 uerò

30. sect. 9. 3.

uerò natura ad optima uiam demonstrat, artis do-  
ctrina facile contingit. natura enim propensionē,  
doctrina consilium & confirmationem ostendūt.  
Nem sit locus studijs aptus, hoc est, aër ambiens tē-  
peraturam æqualem sortiatur. Multum enim in-  
terest, an in calidis, frigidis, aut temperatis regio-  
nibus homines literis incumbant. Quod exactē  
Arist. lib. 7. poli. cap. 7. hoc longo uerborum pro-  
cessu declarat. Nam quæ frigidas regiones inco-  
lunt gentes, & quæ per Europam, animo quidem  
abundant, ingenij uerò, & artificij partem habent;  
quapropter in libertate magis perseuerant. Di-  
sciplinam uerò reipublicæ difficulter recipiunt,  
ac finitimis dominari nō possunt. Quæ uerò Asiā  
incolunt, ingenio, ac arte abundant, sed animosita-  
tem non habent: propter quod & parere domi-  
nantibus, & seruire perseuerant. At Græcorum  
genus, ut mediā regionem locorum sortitum est,  
sic etiam amborum & particeps: nam & animo  
sum, & ingeniosum est. Ex quo fit, ut in libertate  
degit, & disciplinam reipublicæ optime recipiat,  
& unius Reipublicæ constitutione sortitum, impe-  
rare omnibus possit. De qua re idem Arist. legen-  
dus est. 4. sect. prob. quæst. 15. & 16. ubi rationem  
eorum, quæ superius diximus, facile demonstrat.

Vide

Vide igitur quāu interfit hoc uel illo loco operā  
literis dare. His accedit, à pueris institutio. ocys  
enim pueri discunt adultis, ut Arist. 30. sect. prob.  
quæst. 4. docet: propterea quòd nullam aliam rē  
teneant. Cum enim res plerumque scimus, non æquē  
pretereā capere alias possumus. Deinde pueri à  
curis & doloribus nimium abstinentur: unde Eu-  
ripides in Medea hæc dixit.

At isti pueri iam à ludo trochi desinentes  
procedunt: materna non æstimantes  
mala, Mens enim puerilis dolorem nescit.

Item omnium enim prima nos magis delectant: 10. eih. 4

quapropter à pueris omnia discenda sunt: quæ  
enim uoluptatē inducunt, facilius & retinentur, et  
sciuntur. Et si roges, quo anno id auspicandū sit:  
Arist. tibi breuiter satisfaciet lib. 7. pol. cap. 17. in  
hunc modum. Transactis uerò annis quinque, in  
duobus usque ad septem oportet iam disciplinas spe-  
ctare, quas addiscere eos oportet. Duæ autem sunt  
ætates, in quas necessariū est disciplinas diuidere.  
Una, post septimum annum usque ad pubertatem.  
Alterā, à pubertate usque ad annum uicesimum pri-  
mum. His adiungitur industria, hoc est, summus la-  
bor, exercitatio, atque usus: qui quantum ualeat in  
doctrinis percipiendis Afranius poeta Gellio te-

I 3

stante

In togata.

stante lib. 13. cap. 8. his carminibus demonstrat.

Vsus me genuit, mater peperit memoria,  
 σοφία, uocant me Graeci, uos sapientiam.

Item uersus est in eandem ferme sententiam Patricij: quem Macedo philosophus uir bonus, familiaris meus, scribi debere censebat pro foribus omnium templorum: Ego odi homines ignaua opera, & philosopha sententia. Nihil enim fieri posse indignius, neque intolerantius dicebat, quam quod homines ignaui ac desides, operati barba & pallio, mores & emolumenta philosophiae in lingua uerborumque, artes conuertunt: & uitia facundissime accusarent, intercutibus ipsis uitij maculabunt qui sapientes. Multi sunt homines, qui Encomia de laboribus scripsere, sed nescio an melius Alexide poeta antiquissimo id fecerint. Verba eius haec sunt.

Inueniuntur omnia quae sita.

nisi prius desistas, laboremque fugias.

cum enim homines quidam inuenerint

partem aliquam in diuinis tanto spacio

distantes nempè syderum ortus, occasus, solstitia,

defectum solis: quidnam ex rebus communibus,

et familiaribus hominem fugere possent?

Laborem non esse aspernendum, argumentum nobis esse potest Cyrus rex, qui non prandium, aut

cc=

coenam sumere solebat, antequam sudauerit: ut refert Xenoph. lib. 1. de Cyri institutione. Plato quoque in Theaeteto ait, Corporum habitus quiete ac otio corrumpitur, Gymnasiae & motibus magna parte conseruatur. Itidem anime habitus, institutione ac meditatione, qui motus quidam secundum disciplinas sunt, seruatur, euaditque melior: otio autem, quod ab omni meditatione disciplinaque, uacatio est, neque discit quidquam, & si quae didicerit obliuiscitur. Ergo tu, quisquis es, cui ignea uis in pectore exarsit, cui flamma in praecordijs micat: procul, procul absint mollia, otia, quae animi impetum extinguere solent. Dura pete, laborem ama, ut tandem radice eruditionis per amara gustata, fructum iucundissimum tibi compares. His, et tempus cuius uirtutem Hippocrates adiunxit: idque continuum debet esse: quae uis labor continuus consuetudine fit seipso leuior, neque minus sumptus esse necessarios credendum est: ut Simylus admoebat. Quod Arist. respiciens lib. 1. eth. cap. 8. haec uerba dixit. Videtur tamen externis indigere bonis, ut diximus, fieri enim non potest, aut non facile sit, ut is res agat praeclearas, cui facultates desunt. Hinc Iuuenalis satyra 3. Haud facile emergunt, quorum uirtutibus obstat Res angusta domi.

Idem in Laechete, & Phaedro.

I 4

Neg

Neq; silentio Galeni præcepta prætereunda sunt, quæ de acquirendis facilius doctrinis nobis scripta reliquit. is namq; cap. 7. lib. de constitutione artis medicæ hæc dixit. Sed quoniam ea sunt quæ cõuenire opus est, ut quodcũq; quis inquisierit, quõdque uerum sit, inueniat, uel si minus, saltem non omnino de inuentione desperet? nimirum septem. Primum, natura perspicax: ut edoctus, facile quacũq; rationalem disciplinam consequatur. Alterum, educatio exercitatioq; à teneris annis in primis disciplinis. In primis uerò opere pretium fecerit, si iuxta Platonis præceptum se in geometria & arithmetica exercuerit. Ad hæc tertium, quibusq; optimis sua tempestate habitis præceptoribus se auditorem præstitisse. Quartum, laboris eò esse patientissimum: ut diu noctuq; nihil committatur aliud quam quæ ad disciplinas spectant. Quintum, quod paucissimis datũ est, ueritatis amore esse captum: solumq; illius studio, toto uite curriculo teneri, ceteris omnibus neglectis, quæ à quàm plurimis aliorum multiferi solent. Sextum, aliquã prætereã methodum, qua uerum à falso discernatur, didicisse. Neq; enim ad eorum inuentionem quæ inquirenda nobis proposita sunt, satis fuerit ueritatis desiderio affici: nisi etiam uiam aliquam eam

in=

inueniendi expeditam habeant. Septimum insuper, methodum ita iungi exercitio tritam habere: ut nõ modo norit, sed uti etiam ualeat. Porro si oratores, qui in arte longè minori uersantur, non sibi satis esse methodum nouisse putant, nisi illam assidua exercitatione per totam coluerint ætatem: quanto minus ijs, qui magna adeò sectantur, methodum didicisse sufficiat? Itaque si uel unum horum quæ recensuimus in illo desideretur, qui ad uiam ueritatis introducendus est, non erit admodum sperandum illum posse sui uoti fieri competentem. Si uerò omnia cumulata adsint, quid deinde uetat quò minus ueritatem bona etiam spe exquiramus? Hæc Galenus. At quibus ad ueritatem percipiendam, dicit quispiam, præparabimur? quinq; opus est, respondet Aristò. capite secundo libri secundi primæ phi. Primò consuetudine uera audiendi eruditioneq; reãta. Dein, rectè docenti facilliter assentiendo, licet quod dicit, non semper ut mathematicus demonstrat, ad ueritatem cognoscendam inducimur: oportet namq; unumquenque tales rationes efflagitare, qualis ipsa materia postulat: ut etiam in ethicis docet Aristoteles, & libris de animalibus. Tertio, non omnium sensum requiras, quoniam ueritas acuta profundaq; mente ali-

Lib. 1. eth.  
cap. 4. lib. 1  
de par. ca. 1

quando indiget: cuius etiam est intelligere & cognoscere quæ sensu etiam non constant. Ad hæc, non omnium auctoritatem petas, ad ipsam ueritatem percipiendam: quoniam est indicium animi im-  
 potentis: qui solum auctoritati innititur, ipsam posthabens rationem. Vnde ex Aristotelis sententia  
 + iudicabis eos aberrare, qui sectis tanquam seruili mancipio addicuntur, nullam ad rationem animi attendentes. Deniq; inquit Aristoteles, parua alia quando degustare oportet: ueluti sunt exempla, quæ maximè res arduas ac difficiles explorant: illaq; sint desumpta, ut monet Aristoteles capite secundo libri octaui topicorum, non ex Chæri-  
 lo, sed Homero, ac alijs doctissimis uiris, quibus aliqua ueritas cognoscitur. Hinc monendi mihi ueniunt Dialecticæ professores studiosi (cum ijs lo-  
 quor, qui ueritatem ex animo amant, & bonos autores legere cupiunt, quiq; ita barbariem reijciunt, ut statorem animal undas, apud Plinium le-  
 gimus) ut quæq; difficilia ac ardua, exemplis illustrent: dentq; operam, ut his abundant, ad commoditatem & faciliorem perceptionem addiscentiũ.  
 Nam præter id quod addiscentes facilius res obscuras capiunt, auidius ad sciendas optimas quasq; artes incitantur, ut Aristot. in problema-  
 tis

lib. 9. ca. 4



Sect. 18.  
Quest. 3

tis monet: item cognoscunt dialecticã utilem esse, quam libros uarios, ex quibus exempla deducuntur, intelligunt. Sunt enim plerique ex nostratibus  
 + Dialecticis Salmanticensibus, & qui publico ære Dialecticam profitentur, ut adductis exemplis, de homine, & animali, sint contenti, illaq; omnibus rebus (si sunt) quas docent, accommodant. Vt inter-  
 rim præteream uocabula quædam inepta ac stulta, ut bus, bus, & alia huiusmodi, quæ ad demones fugandos sunt aptissima. Sed de ijs non plura. iam igitur reuersi eò, unde digressi sumus, dicamus. His igitur omnibus scientias omnes comparari perapertum est. Vnde miror insitiam Te-  
 lei, qui Dialecticam in naturam, doctrinam, & exercitium diuisit, quasi uerò omnes scientiæ ijs non utantur: nulla enim est (ut ostendimus) quæ non natura, doctrina, & exercitatione fruatur. Neque possum silentio præterire, id quod Aristoteli imponit: nunquam de ijs tribus aliquid differre, cum tamen sint fundamenta, quibus reliqua doctrinæ & artis edificatio nitatur: cum constet Aristotelem nullum illorum prætermisisse: nam & Dialecticam nobis insitam fecit: & doctrinam illius prius in artem redegit, & exercitationem non omisit: idq; omnes scientias habere supra demon-  
 stratum

eloquio nō stratum est. Propterea enim, ô Talee, Dialecticæ  
 est oratio= diuisio, est in tres partes, inuentionem, dispositio=  
 nis ornāmē nem, & elocutionem: ut ipse Aristoteles docuit li=  
 bro octauo topicorum capite primo. Vnde &  
 exercitatio. falso Dialecticam in naturam, doctrinam,  
 & exercitium, distribuis: & ineptè  
 propriam Dialecticæ diuisionem  
 omiffam facis: ut magis uer=  
 ba, quàm res exercere  
 mihi uidearis.



ΤΕΛΟΣ


 finis
 

## L O D O V I C I

L E M O S I I L V S I T A N I .

Medici ac philosophi Salmanticae  
 philosophiæ publicè professo=  
 ris, Dialecticorum cr=  
 rorum Liber  
 secundus.

## ERROR PRIMVS.

Lapsus est doctissimus Burana, syllogismum  
 pro sumptionibus simul & complexione,  
 accipiens.



Vrana, uir alioqui rara & eruditione  
 ac multiuiga rerum cognitione insi=  
 gnis, acerrimoq; iudicio praeclitus, in  
 suis cōmētarijs ad lib. 2. Arist. de prio=  
 ri res. cap. 1. syllogismū semper esse intelligendū  
 de sumptionibus, et conclusionem simul scripsit, in=  
 de conclusionem de essentia syllogismi esse con=  
 cludit. Suam sententiam probat hunc in modum.  
 Conclusio in definitione syllogismi ponitur: ergo  
 erit de syllogismi essentia. Primū uerum est, quo=  
 niam



niam in definitione syllogismi, uerbum, aliud, con-  
 clusionem indicabat: ergo & secundum: si quidem  
 partes definitionis sunt de essentia definiti: ut  
 Arist. lib. 2. Phy. cap. 3. scripsit. Item Arist. lib. 1.  
 de pri. res. cap. 25. ostendens syllogismum coniu-  
 ctū esse plures simplices, inquit, sed & sic plures  
 syllogismi, plures enim conclusiones. His Burana  
 cōtētus, sibi persuasit, syllogismū semper & sum-  
 ptiones, & cōclusionē cōplecti: nūquā sumptiones  
 solum, syllogismū posse uocari. Verū si res ac-  
 curatius ac penitius perpēdatur: ex Arist. senten-  
 tia syllogismum pro sumptionibus tantum usū pa-  
 ri, inuenitur. Primū cap. 29. lib. 1. de prio. res. in-  
 quit Arist. Palam autem, quoniam per tres termina-  
 nos, & duas propositiones hæc consideratio est.  
 Et cap. 26. eiusdem libri. Iuxta igitur (ait) princī-  
 pales propositiones sumptis syllogismis, syllogis-  
 mus omnis, paribus quidem ē propositionibus, ex  
 terminis autem imparibus erit. Et cap. 3. lib. 1. de  
 posteriori reso. inquit. Ex duabus propositionibus  
 contingit ratiocinari. Præterea si conclusio esset  
 syllogismi pars, fieret, ut ex ipsa syllogismus confi-  
 ceretur, id falsum est, igitur et primū falsum erit.  
 Assumptum probō. Ex quibus aliquid constat, in  
 ea resoluitur: atqui in duas solum propositiones  
 syllo-

syllogismus resoluitur: ut probat Arist. cap. 33. Arist. lib. 3.  
 lib. 1. de priori resol. ex duabus deniq; propositio-  
 nibus syllogismus conficietur. His adiunge, modo  
 rum dispositiones solum considerari, penes pro-  
 positiones duas: & per easdem omnes dispositio-  
 nes seu figuras Aristotelem describere. Quinetiā  
 præcepta utilium combinationum à sumptionibus  
 capiuntur. Quare hoc loci omnes reprehendendi  
 ueniunt, qui ratiocinationem, in propositionem,  
 assumptionem, & complexionem, seu conclusio-  
 nem, diuidunt. Iam rationes Burana diluamus.  
 Primum concedo, & secundum distingo. Si per  
 essentiam intellexit, syllogismū partem, causam,  
 aut principium, planè illud negamus: si uerò par-  
 tem definitionis syllogismi, lubenter fatemur. Sūt  
 enim syllogismus & conclusio relata, quæ mutuo  
 se definiunt: ut Arist. cap. 3. lib. 6. top. docuit. Ex  
 quibus secunda ratio dissoluitur, quæ Arist. testi-  
 monio nitebatur. Si enim syllogismū sum plures,  
 inde conclusiones eundem numerum subire est ne-  
 cesse: quippe hoc sibi habent relata peculiare, ut  
 & simul se ponant, & interirant. Aduertant igitur  
 ueritatis amatores, nostrā & Burana senten-  
 tiam, & Arist. magis consonam amplectari, non  
 desinant.

Et in cap.  
 de relatiōe,  
 & alijs.  
 3. de anima.  
 cap. 2.

DIALECTICORVM  
ERROR SECVNDVS.

Enarratio cuiusdam loci Arist. aduersus com-  
plures interpretes.



Risto. lib. 1. de priori resol. cap. 30. inquit hæc uerba. Eodem autē pacto se habent & syllogismi ad impossibile deducentes cum ostensiuus: nanq; & hi sunt per consequentia, & quæ consequitur utrunq; & eadē inspectio in ambobus: quod enim ostensiuē monstratur, & per impossibile est ratiocinari per eosdem terminos: & quod per impossibile, & ostensiuē. Hæc est Burana uersio: ut ad uerbū scripsimus. Idem legit apud Philoponū Lucillus Philaltæus eius interpret. Magentinus, Ioanne baptista interprete, ita ferè legit. Quod enim demonstratiuē ostenditur, potest etiam ex eo, quod fieri nequit, & per eosdē terminos colligi: & contra, quod ex eo, quod fieri nequit, demonstratiuē itidem potest. Hic dubitatio oritur, quomodo ratiocinationes, quæ directò, & incommo- dō urgendo, concludunt reciprocentur. quoniam cap. 5. & 6. lib. 1. de priori ref. ostensum est, quatum modum secundæ figuræ, & quantum tertiæ, duntaxat probatione incommo- dum urgenti, de-

MON-

MON-

mōstrari. cur igitur in presenti loco retro uicissim cōmeare dicitur Burana respondet locū Arist. intelligendum esse, uicissim argui, non tamen demonstrari. quod falsum est, nam διωκτικὰ ostendere, monstrare, demonstrare & probare dicitur. Quapropter Arist. legendus est lib. 2. de priori resolutione. ca. 14. ubi repetens e. a. quæ ca. 30. li. primi. dixerat, subiunxit. ὁμοίως τοῖς ἀποδείξεσι Burana ita legisset, non toties eandem dubitationem inculcasset. Sensus igitur uerborum Arist. hic est. Omnia problemata, quæ per incommo- dū concluduntur, & directò concludi possunt. Verba sunt Arist. ad finem capituli. 14. ubi ait. Planum igitur, quod per eosdem terminos & ostensiuē est monstrare unumquodq; problematum, & per impossibile. Non enim sensus est, modi qui directò cōcludunt & incommo- dō urgente etiam concludunt, sed ut diximus, problemata hanc legem subeunt. Ex quibus hæc præcepta colliges. Quæcumq; in prima figura per impossibile ostenduntur, sicut etiam ostensiuē in secunda & tertia: atqui negatiua in secunda, affirmatiua in tertia. Quæcumque autem in media ostendebatur per impossibile, etiā ostensiuē ostenditur, affirmatiua in prima, & negati-

Id clarius  
lib. 1. cap. 7

K gati-

gatiua in secunda. Verum itaq; est, omnia, & di-  
recto, & per id quod fieri nequit, uicissim demon-  
strari, non tamen per easdem figuras, quod & ca.  
7. libri primi de priori resolut. Aristot. indicauit.

## ERROR TERTIVS.

Breuis expositio capitis. 42. lib. 1. de priori re-  
solutione. Item defenditur Arist. ab iniuria,  
& maledictis Petri Rami.



*25. Arist. quid*  
Arist. loco citato de ratiocinationū dis-  
solutione uerba faciens, resolutio au-  
tem è compositis ad simplicia est re-  
uersio, modum dissoluendi enunciatio-  
nes, quæ uerba infinita habent, docet: id quidem ob-  
scure, ut uix quid esse uelit, intelligere possimus;  
propter quod duabus breuissimis regulis mentem,  
& uerba Aristotelis, unde sibi studiosi non medio-  
crem utilitatem comparabunt, explorare intendo.  
Omnis propositio aens de attributo infinito, ne-  
gantem de attributo finito rectè cōsequitur. Nam  
bene sequitur, est non album, ergo non est album,  
sed non contrā. Negans de attributo finito, affir-  
mantem de attributo infinito non ualet consequi:

NON

non enim sequitur, hoc non est lignum album, era-  
go hoc est lignum non album. Affirmans autem  
de finito attributo, negantem de eodem infinito re-  
ctè consequitur: ut, hoc est album, ergo hoc non est  
non album. Negatiua uerò de attributo infinito,  
affirmantem de eodem non consequitur, non enim  
rectè sequitur, Non est lignum non album, ergo  
est lignum album. Ex ijs Arist. duo catholica in-  
fert, affirmatiua de attributo finito, & affirmans  
de infinito attributo: ut non est album, est non al-  
bum, nequeunt simul esse. Item negatiua de attri-  
buto finito, & negatiua de eodem infinito non se-  
inuicem consequuntur, tamen possunt simul esse,  
quia quod non est lignum album, non est etiam li-  
gnum non album. Hinc intelliges locum obscurū,  
in eodem Aristotele, lib. 2. de interpre. cap. 1. cuius  
ipsa tibi reddam uerba. Quare ob id ipsum qua-  
tuor erunt ille, quarum duæ quidem ad affirma-  
tionem & negationem se habebunt secundum cō-  
sequentiā ut priuationes: duæ uerò minime. (Duo  
iam præcepta in eodem capite sequuntur: unum  
est, Si antecedens retineatur, & consequens reti-  
nere necessarium est: uulgo dicunt, à positione an-  
tecedentis ad positionem consequentis, fida & eodē  
stans est argumentatio: ut si iustitia, uirtus est,

K 2 medio=

mediocritas est: est autem iustitia uirtus: est igitur iustitia mediocritas: syllogismus connexus est. At quid interest utrum syllogismus connexus facias, an simplicem? Quicquid uirtus est, mediocritas est: iustitia est uirtus, iustitia igitur mediocritas. Parum enim refert, an hoc, uel illo modo dicas: imò, mea quidem sententia, dispositio simplex laudanda est, quòd illustrior, & omnibus nota sit. Proinde Arist. de connexis, ut ex illis notissimi, parum curauit: cum id creas, quemadmodum statim probabo, eos silentio non praterisse: ut non pauci scripsere. Alterum est, si uerò consequens tollatur, & antecedens tolli necessarium est: à destructione consequentis, ad destruendū consequens fidam esse argumentationem, omnes solent dicere: ut, si quicquam uirtus est, mediocritas est: inuidia non est mediocritas, inuidia igitur non est uirtus. Hic syllogismus nihil differt ab illo secundæ figuræ syllogismo: ut quicumq; uirtus est mediocritas est, inuidia autem non est mediocritas: inuidia igitur non est uirtus. Hunc concludendū modum Arist. etiam docuit, libro, 2. top. cap. 3. quem locum ad literam subijcio. Quoniam autem oppositiones sunt quatuor, considerandum ex contradictionibus e conuerso, ex consequentia, & destru-

enti

enti & constructi. Accipiendum autem ex inductione: ut si homo animal, non animal non homo, similiter autem & in alijs. Hic enim e conuerso consequentia: nam hominem animal sequitur: non hominem autem, non animal nequaquam: sed e conuerso, non animal, non homo. Tantum Arist. Sed nescio quo animo Petrus Ramus in suis animaduersionibus in hunc locum, Aristotelem excusari ab Aristotele dicat: quòd tempore Aristotelis syllogismos connexos nondum esse inuentos, affirmat, cum constet Arist. cap. ultimo. lib. 1. top. docuisse, quatuor dialecticæ instrumenta ad syllogismos ex hypothesi conficiendos utilia esse, per quos ut ex Aristotelis litera elicitur, connexos intellexit. At quid in istis nenijis refutandis immoror? Perspicue enim Aristoteles lib. 2. top. cap. 3. connexum syllogismum confecit: ut, si homo animal, aut non animal non homo erit. His adde, Stoicos, qui ætate Aristotelem præcessere, syllogismos connexos inuenisse, cur igitur tempore Aristotelis nõdum esse inuentos Ramus ausus est asserere? Sed placuit illi omnia fingere, modò in odium multorum rapiat nostrum Aristotelem. Sed ad rem redeamus. Superioribus & hoc præceptum adiunges: Si antecedens tollatur, non proinde consequens

K 3 tolle=

tolletur: ut si est homo, est animal: non est homo, animaligitur non erit. Vides nullius hunc arguendi modum esse momenti? equus enim non est homo, est tamen animal. Erit fortasse aliquis, qui rationis huius inductionem ceu minus sanam aut feriam reprehendat: & adducet Aristotelis locum ex lib. i. de anima. cap. i. ubi abolitione antecedentis, procul consequens reijcit. Si autem (inquit) aliquid est proprium opus animæ uel passio, continget eam separari: si autem nullum est proprium opus animæ, non utiq; erit separabilis: en consequens aboleri, propterea quod antecedens discessit. Verum qui Aristotelis doctrinam ignorat, ut hæc quæ in dialectica atq; exercitio argutarum iactata & prompta omnibus sunt: ignorasse Aristotelem putat, is planè ignoratissimus uidetur. Nam uerbum illud, continget eam separari, quod Aristoteles in ratione sua uititur, non habet necessariam connexionem (tunc enim uerum sit perempto quod sequitur interimi quod procedebat) sed possibilem & contingentem tantum, in quo genere obseruatio in contrariam est, ut abolitio antecedentis aboleat consequens: ea res hoc exemplo patuerit. Si nauigauerit Dion, potest cõtingere, ut bene & prosperè nauigauerit: ergo si non nauigat

nauigauerit, non potest cõtingere, ut bene & prosperè nauigasse dicatur. Non autem sequitur, ergo si non potest contingere, ut bene & prosperè nauiget, ne nauigare quoq; simpliciter poterit, idè de eo qui aliud agat, proficiscatur, ambulet, curat. Demum eadè in omnibus ratio erit, in quibus coniunctio incidens contingensq; habebitur non necessaria. Semper enim id quod sequitur contingenter, tanquam pars antecedentis sit, propterea quod quandoq; accidit, quandoque non accidit. ita qui antecedens interimit, totum interimit. Neque hoc silentio prætereundum est: si consequens retineatur, antecedens retinere est necessarium: ut, si probaueris esse animal, modò concludes hominè esse. Plura si legere anhelat animus, uide quæ scribat doctissimus Themiſtius, diligentissima lectionis, & exquisiti iudicij uir, in paraphrasi ad lib. i. de anima. ca. 8. & accuratissimus Simplicius nusquam satis laudatus uir, in commentarijs ad lib. i. de celo. Ex quibus certè, ut ingenuè fatear, non pauca toto hoc capite mutuatus sum. Quos ob id etiam impium duxerim, sua laude frustrari, quod ij fuerint, qui ueram Aristotelis doctrinam docuerint, digni hoc nomine, ut docti eosdem certatim multis laudibus euehant.

Deuiant à uero nostrates Dialectici, oppositio-  
nem in contrariam, contradicentem, & sub-  
contrariam diuidentes.



Propositionem à recentioribus uocatã  
subcontrariam, esse eam, quam Aristo-  
teles contrariam describit, facile ueri-  
tatis studiosi ex Aristotele cognoscẽt.  
libro enim secundo de priori resolutione . capite  
octauo. ita ait. Dico autem opponi quidem, omni  
inesse, non omni, & alicui nulli: contrarie autem,  
omni nulli, & alicui & non alicui inesse . In hoc  
loco speciales enunciationes contrarias nuncupa-  
uit. Itis accedit, quod idem Aristoteles libro secun-  
do de priori resolutione capite decimo septimo, o-  
mnes oppositionum species enumerans, in hunc  
modum scripsit. Quoniam autem affirmationum  
oppositiones sunt tres. sexies accidit opposita su-  
mere, aut omni, & nulli, aut omni & non omni:  
aut alicui, & nulli . Neque in hoc loco de uocatis  
subcontrarijs meminit, propterea quod sub con-  
trarijs intelligerentur. Itẽ capite decimo quina-  
to eiusdem libri hæc inquit. Dico autem oppositas  
esse

esse propositiones secundum locutionem quidem  
quatuor. ut omni, nulli: & omni, non omni: & ali-  
cui, nulli: & alicui, & nõ alicui inesse. secundũ ue-  
ritatem autem tres: nam alicui & non alicui secũ-  
dum locutionem opponitur solum. Ergo locus hic  
nos admonet, formæ oppositionis secundum rem  
quot sint. Monet etiã istam subcontrariam opposi-  
tionis speciem, ita uulgò appellatur, tolli e formis  
oppositionis, nec in logica doceri. Quid multat  
Nullum uerbum apud Arist. reperitur, cui sub-  
contraria hæc possint respondere: unde non bene  
Boëtius lib. 2. de priori resolut. cap. 11. ita locum  
quendam inter pretatus est. Sit enim uerum et ma-  
nifestum, quoniam omni . c. inesse . a. quare si hoc  
falsum, necesse est . a. alicui . b. inesse . Si autem ad  
a. sumatur altera propositio, non erit syllogis-  
mus, neq; quando subcontrarium conclusioni sup-  
ponitur, ut alicui non inesse: manifestum ergo quo-  
niam oppositum sumendum est. Lapsus est, in quã  
hoc in loco Boëtius, quod loco illius uerbi τὸ ἕκασ-  
τον: subcontrarium interpretatus est: cum contra-  
rium debuisset dicere. Ex quibus etiam uerbis tibi  
manifestum erit, alicui & alicui non, contrarias  
propositiones ab Aristotele appellari. Quod si  
mihi obrudas locum Aristotelis libro primo de

interpretatione capite sexto, ubi ait. His uerò oppositas contingit aliquando in eodem simul esse ueras. Et libro secundo eiusdem nominis cap. 1. inquit: His uerò oppositæ, erunt aliquando: bi autem loci de uocatis subcontrarijs sunt intelligendi, ergo à logica subcontraria non exterminantur. Primum id te rogo, si Aristoteles subcontrarias docere uoluit, cur eas non nominauit? Deinde quod uerbum illorum locorum tibi persuadebit, Aristotelem subcontrarias uelle intelligere? At iam scio, quo pede claudicas: eò quòd Aristotelem uidiisti, oppositas contrarijs simul posse esse ueras, dicere, ilicò iudicasti, de nulla alia oppositione, præterquam de subcontraria loqui. Vide igitur quid Aristoteles ipse sibi uelit. Contraria bifariam accipi, aut generalia sunt, aut specialia, illa nunquam uera fiunt: hæc aliquando, idq; in re contingenti, quocirca ea secundum uocè duntaxat contraria Aristoteles appellauit: lib. 2. de prior. resol. cap. 15. Et ne hæc nos fingere, existimes: à natura ipsarum rerum hæc deprompta esse. conabor tibi persuadeas. Opposita complexa emulantur naturam contrariorum incomplexorum: atqui illa in contraria & contradicentia, ut interim relata, & priuantia prætermittamus, distri-

distribuantur: complexa igitur in eadem diuidentur. Propositio satis dilucida est, quoniam ab ipsis rebus pendet omnia, quæ beneficio intellectus cognoscuntur. Assumptionem Aristoteles scripsit in prædica. capite decimo. & lib. 10. primæ philosoph. capite septimo. contraria igitur & contradicentia erunt oppositionis species. Qui plura legere uoluerit: legat ea quæ in nostris commentarijs ad caput quintum & sextum, lib. 1. de interpretatione scriptissimus. Et id uelim. sciat: me nouam doctrinam nõ suscitari, sed ueterem, & Aristoteli maxime consonam, ac ueritati, docere.

## ERROR QUINTVS.

Cecutiunt non pauci Aristotelis interpretes propositionem existentem, à necessaria, & contingenti, nescientes, distinguere.



Aristoteles lib. 1. de prior resolutione cap. secundo in hunc modum scribit. Quoniã autem omnis propositio est aut de inesse, aut ex necessitate inesse aut contingere inesse. Non mediocrius perturbatio est inter Aristotelis interpretes, quid sit intelligen-

gendum per propositiones de inesse, quā nos existentem, absolutam, nō incommode appellabimus. Nonnulli credunt absolutam sumi, pro ea quod uera est, nec falsa esse potest, ut absoluta & necessaria (licet non affectam necessarij nota) eadem sit. Quod si hoc uerum esset, profectō nihil noui Aristoteles doceret: imō uerō ex duabus eiusmodi absolutis, licebit in omni figura necessariam concludere: non enim necessitas rebus additione nota necessarij, additur, aut detractōne detrahitur, sed exprimitur aut non exprimitur. Quocirca futilem ac ridiculam hanc esse sententiam existimo: quam Themistius, Herminius, & Theophrastus habuerunt, ut ex suorum scriptis percipitur. Alexander, & Philoponus propositionem absolutam pro uera de re contingenti: accipiebant, modō attributum subiecto actu insit. Et hanc, ut ueriores, ex Aristotelis decretis munimus. Primum lib. 1. de priori ref. cap. 8. inquit hæc uerba. Quoniam autem diuersum est inesse, & ex necessitate inesse, & contingere inesse (& contingere inesse non tamen ex necessitate: alia uerō neq; ex necessitate, neque insunt omnino, contingit autem inesse) manifestum quod & syllogismus in unoquoq; horum diuersus est. Ex ijs utiq; uerbis disidium inter  
 illas

illas propositiones perspicuum est: Si enim aliqua insunt & non ex necessitate, credendum est, attributum subiecto inesse, nō tamen ex necessitate, quod fit, eas esse absolutas propositiones, dicamus, quæ actu in coherentia contingenti attributum inesse subiecto indicat. Cuius sanè rei aliquot Aristotelis exempla in medium adducam. Capite enim. 9. libri primi de priori ref. animal moueri, & cap. 10. hominem esse album, & capit. 11. equum esse bonum. Item uigilare, & dormire: propositiones esse absolutas memorie mandauit. Præterea cap. 14. eiusdē libri, agens Arist. de coniugijs ex una absoluta, & altera contingenti, hominem moueri, item animal moueri, absolutas propositiones inquit esse. Et cap. 17. hominem esse sanum, absolutam propositionem appellat. Videant iam ueritatis amatores, quot difficultates, & quidem inexplicabiles, occurrant Logicis, si priorē opinionē admittat: quot deniq; utilitates, si nostrā hanc sententiā amplectantur.

## ERROR SEPTVS.

Lapsus est Burana, quod demonstratiōnem, quæ per expositionem fit, propriam esse figuræ tertiæ, crediderit.

Franciscus



**L**Ranciscus Burana, uir nunquam sine honoris titulo nominandus, scribit, de expositione tertiæ figuræ agens, hæc uerba. Propria est autem monstratio hæc sensibilis figuræ tertiæ: oportet enim expositionē mediæ ac subiecti fieri. At quid opus est multis in re omnium apertissima? Non enim arbitror esse aliquē, qui ignoret nostræ ætatis Dialecticos, & superiores, ut nullum ferè prætermittam, sententiam Buranæ pro uera defendere & scribere. Et si rem accuratius perspicuissent, Aristotelem omnibus illam legem, & priuilegium concedere, lucè clariùs intellixissent. Lib. enim. 1. de priori resolutione cap. 8. quatuor modū secundæ, & quintū tertiæ expositione perficit, qua à cæteris syllogismis soluta eos separat. Item cap. 10. eiusdem libri probat conclusionem non esse necessariam, in secunda figura. Si altera sumptionum sit affirmas de necessario, altera uerò sit negans soluta: idq; expositione demonstrans, utitur his uerbis, homo, animal, album. Item cap. 13. de prima figura uerba faciens, expositione utitur, in uerbis, homo, animal, album. Et cap. 14. in uerbis coruus, intelligens, homo. Vnde descriptio, quæ ipsi expositioni seu syllogismo expositorio tribuunt, uana ac perradicula est.

est. Expositio (aiunt) est, cuius mediū est uerbum singulare: Quum dicendum sit, syllogismum expositorium esse, qui uerbo designato expositoq; constat: siue illud uerbum sit speciale, siue singulare. Quare non est, quod posthac hæsitent studiosi, expositionem in omnibus figuris fieri.

## ERROR SEPTIMVS.

Enarratio & interpretatio quorundā Aristotelis uerborū, aduersus nonnullos Aristotelis interpretes, & enarratores.



Risto. lib. 2. de priori resol. cap. 22. de conuersione terminorū uerba faciens, catholicū quoddā docet, quod tale est, Si extrema cōuertatur, necesse est mediū cū amobus cōuertiri: ut, omne animal est sentiens: omne capax et expers rationis est animal: omne igitur capax et expers rationis est sentiens. Quoniā expers & capax rationis uicissim cū sentienti cōuertuntur, mediū animal cum utroq; cōuertetur. Verba Aristō. quibus hoc docet, apud Buranam, Perionium, Grouchium Perionij doctissimum correctorē, & alios ferè omnes Græcos, & Latinos, hæc

hec sunt. Cum uerò. a. toti. b. & c. insit, & de nullo alio prædicetur, insit autem & b. omni. c. necesse est. a. & b. conuerti: quoniam enim. a. de solis. b. c. dicitur, prædicatur autem. b. & ipsum de ipso, & de. c. planum, quòd de quibus. a. & b. dicitur omnibus, præterquam de ipso. a. hæc Arist. Quod Aristoteles exemplis abecedarijs pronunciauit, id nos supra significantibus enarrauimus: ut studiosi in litera intelligenda nihil hæsitarent. Perturbatio non mediocris est apud Buranam & Alexandrū, & multos alios enarratores, & interpretes: qui fieri potest, quòd. b. non prædicetur de. a. cum mutò termini illi conuertantur? Alexander literam Aristotelis esse castigandam censet. Burana, id fugiens, in maius incommodam delapsus est. Cum igitur in uerbo illo, *περὶ αὐτῶν*, hanc esse controuersiam perpenderit, mihi nullum dubium ingessit, propterea quòd inter alias significationes uerbū illud habet, & uerum, significat: quare sententia

Arist. est, non solum de omnibus dici.

b. uerum & de ipso. a. Non est ergo, quòd interpretes ab errore hoc excusari queant.

ERROR

ERROR OCTAVVS.

Falluntur ferè omnes Logici, & præter Aristotelis placita contendunt, dispositionem in uerbis contrarijs, aut contradicentibus esse syllogismum.



Vm ego plerumq; & in priuatis colloquijs, & in publicis lectionibus, semper Aristotelis sententijs omnium philosophorum sine controuersia principiis inhererem: tandem in una, quæ maximum habere pondus uidebatur, ad hæc, dispositionem uide licet ex contrarijs, aut contradicentibus confectâ rationem syllogismi non subire defendi: quòd aliorum animis non solum non arrisit, uerum etiam mirum in modum displicuit: & me futilem, & captiosam doctrinam, ac nouâ discipulis meis tradere pronunciabant. Et cum ego hæc, nullam antiquiorem haberem, manum calamo admoui, et iam iam quid in hac re sit sentiendum, hisce uerbis scripsi. Problema quòd disputandum proponitur, tale est: licet atque, dispositionem ex oppositis qua Aristoteles cap. 15. 16. & 17. lib. 2. de priori resol. agit, syllogismum appellare. Quòd problema disputari, Aristotelis doctrinam sequentes,

L hanc

hanc cōclusionem statuimus. Dispositio ex oppositis nullo modo est syllogismus: ut omnis medicina est studiosa: nulla medicina est studiosa: nulla igitur medicina est medicina. Primū cōclusio illa, nō sequitur, per ea quæ posita sunt, quòd omnibus syllogismis peculiare est, sed ut & natura uerborum contrariorum: dispositio igitur illa non erit syllogismus. Deinde si syllogismus esset, fieret necessarium, quòd in secunda figura propositio nullo modo esset specialis, & in tertia assumptio non esset negans: atqui hoc in dispositione ex oppositis Arist. cap. 17. ad finem docet reperiri: non concludit igitur dispositio illa ut syllogismi, sed ut duntaxat oppositionis. Item omnis ratiocinatio tres debet habere terminos: quòd Aristoteles. lib. 1. de priori ref. cap. 25. confirmauit, dicens: Quare manifestum: quoniam omnis demonstratio, & omnis syllogismus, erit per tres terminos solos: dispositio autem ex oppositis solum habet duos, ut ex superiori constat: non erit igitur syllogismus. His accedit, quòd omnis syllogismus aut est perfectus, aut imperfectus: si perfectus, duo principia habet, de omni, & de nullo dicti, quibus perfectus si imperfectus, reciprocationem habet, quia ad perfectos reuocetur: at ijs omnibus caret dispositio ex oppositis

tis, propterea quòd in prima figura nullo pacto fiat: ut Aristoteles cap. 15. inquit: dispositio itaque ex oppositis non erit syllogismus. Sed instabit fortasse aliquis dicens, Fateor quidem has rationes constantes, ac fidas esse: quid uerò ad Aristotelem dicemus, qui huiusmodi dispositiones, syllogismos ex oppositis appellauit? Respondeo, instantia tuam secum solutionem adducere: non enim absolute eos syllogismos nūcupauit, sed cum addito syllogismos ex oppositis dixit. Quæ admodum syllogismum ex assumptionibus non optime dispositus, cap. 1. primi top. & cap. 24. lib. 2. rhet. non omnino syllogismum uocauit: sed cum addito, syllogismum contentiosum. Hinc monendi studiosi nobis erunt, ut solutionum causas ex nullo alio quàm Aristotele, & qui hunc secuti sunt, discant. Aristoteles tamen, ut qui methode, sicut alia omnia, eas tradidit, merito his ipsis, & omnibus alijs preferendus erit: alios scriptores, ut qui parum accurate hac in re uersati sunt, longum ualere iubeunt.

## ERROR NONVS.

Ignorant Louanienses, Albertum Magnum, logicosq; reliquos imitantes, quid sibi uelit Aristoteles, cap. 11. ad finem lib. 1. de priori ref.

L a deniq;

deniq; omnes interpretes carpuntur, tanta est in ijs rebus, quæ sunt in usu frequentissimo Logicorum incuria.



**A**ristoteles lib. 1. de priori resolutione cap. 11. sub finem in hunc modum scripsit. Planum itaq; quod inexistenti syllogismus non est, nisi utraq; sint propositiones inexistentes: sed necessarius est, & quam altera solum sit necessaria. Albertus hunc locum sic intellexit, non posse immediatè & primùm conclusionem fieri existentem, nisi ambæ propositiones fuerint existentes. Si enim ex altera necessaria & altera existenti sequitur existens, hoc non fit immediatè, sed quoniam ex necessaria possumus inexistentem inferre. Hæc magnus ille Albertus. Louanienses Albertum secuti, ita aiunt: posterius corollarium accipiendum est de ea conclusione, quæ immediatè ex assumptis præmissis est colligenda. Nam priùs diximus, ex ambabus de necessario aut altera tantùm inferri posse conclusionem de inesse, & si non immediatè. Philoponus de tertia figura uerba illa esse intelligenda existimat. Quem reprehendens Augustinus Niphus, subiungit. Nunc nõ occurrit aliquid, per quod mihi ipsi

satisfac

satisfacerem. Sed sat sit, monstrasse locum confiderationis. Burana hos reprehendens, in hunc modum ait. Nos autem multò secius hæc audienda arbitramur, & fortasse multò melius. Namq; dicere, ex necessario sequi inexistentès, præterquam quòd absurdum iudicamus, superiùs etiam refutatum est. Dicere etiam regulam istam, ad solam tertiæ compositionem referri, & non simpliciter intelligendam esse, multò absurdius cõsendum existimamus, quàm infra quoq; eadem serme quæ hic dixerat, ad uerbù quasi repetat. Dicimus itaq; nos, nõ posse ullo pacto conclusionem uerè fieri inexistentè, nisi ambæ fuerint inexistentes: namq; ex altera necessaria & altera inexistenti minime concludi potest inexistentis uerum: neq; hoc unquam dixit Aristoteles, sed semper asseruit conclusionem sequi nõ necessariam: & ita censeo ambiguitates omnes, quæ hoc in loco negotium facessunt, euanescere. Hactenus uerba Buranæ bona fide recitauimus. Quod ait, Aristotelem nusquam dixisse, sequi conclusionem absolutam, ex altera sumptionum absoluta: id falsum est, & absurdius reliquorum interpretum dictis: quoniam Aristoteles cap. 10. lib. 1. absolutam posse sequi, his uerbis docuit: Rursum sit prædicatiua, & uniuersalis, & necessaria, &

L 3      pona

ponatur ad. b. quidem predicatiuum: Si ergo. a. omni. b. ex necessitate inest. c. autem alicui non in est. subiunxit Aristoteles, quoniam non inerit. b. alicui. c. manifestum, sed non ex necessitate. Et ca. 11. inquit. & a. alicui eorum que sunt. b. non in erit: sed nō ex necessitate. Ex ijs itaq; duobus locis perspicuum est, Aristotelem uelle, absolutam sequi non tamen necessariam. Taceat igitur Burana. Nolo in recensendis aliorum interpretum sententijs amplius diuagari, ad ueram Aristotelis sententiam enarrandam accedo. Inquit igitur Aristoteles. Planum itaq; quod inexistenti syllogismus nō est, nisi utraq; sint propositiones inesistentes: hoc dicitur propter primum modum primæ figuræ, quandoquidem ille solū inesse conclusionem infert, cum præsertim utraq; propositiones inesse significantes habeat. At si alteram existentem, alteram necessariam habuerit, necessaria erit conclusio: ut ex cap. 9. studiosus facile colligere poterit. Hæc quidem de huius loci expositione, & interpretum refutatione, dicta sufficiant.

## ERROR DECIMVS.

Quid methodus, & quas in partes diuidatur ostenditur: reprehenditurq; Ramus, propter

ca

ea quodd methodum ignorasse Aristotelē dicat: & non bene Ramum methodum tractare pronuncietur.



Vōd præter nugæ nihil offendat ueritatis studiosi, in hoc Petro Ramo facile uidebunt, qui ea, que in Aristotelem scripsit, diligenti iudicio perpēderint. In superioribus enim diebus, cum meas in libros Aristotelis de interpretatione enarrationes typis mandarem: typographum rogavi, an aliquid dialecticæ noui haberet: animaduersiones Petri Rami nunc denuo ab eodem cognitæ, & auctas habere respōdit. Audito Rami nomine, statim aduolo, magnaq; cum uoluptate commentaria illa reuoluo, capita percurro, uniuersa deuoro, potius quàm lego. Deus bone, quot errores, quàm inuersa enarratio, que citationes, si ulla sunt, falsæ! Librum igitur domum mecum reporto, occipio legere cunctantiùs, modò hunc, modò illum librū. Tandem nihil inueni, quod obseruatione dignum esset: sed omnia erroribus plena: atq; inter alia, que sibi uidetur optime descripsisse, & in sua dialectica docuisse, methodus est: quam Aristotelem non docere, ausus est pronunciaré. Quocirca ego ob ouo

L 4 (ut

Cui aiunt)rem hanc repetens : quid methodus sit,  
 quas etiam partes habeat , & quo in loco eisdem  
 Aristoteles usus fuerit, breuiter scribam. *Methodos*  
 modum scribendi tradendiq; aliquam artem in  
 presentia significat. Et definitur à Galeno lib. 4.  
*methodi* cap. 4. in hunc modum: Methodus est uni-  
 uersalis uia, quæ omnium particularium sit com-  
 munis , quæ in tres partes distribuitur , nempe in  
 resolutoriam, compositoriam, & definitiuam: ut  
 author est Galenus in principio artis medicinalis:  
 resolutoriam satis apertè describit, si quis bene in-  
 telligat uerba, neq; ad alienum sensum trahat. esse  
 enim illam ait, quæ ex fine intellecto, per resolutio-  
 nem gignitur, finem enim intelligere oportet, non  
 causam ultimam, non effectum, sed finem eius ar-  
 tis, quam quis docere instituit. Finis enim, Aristo-  
 tele teste, necessitatem imponit ijs, quæ sunt ad fi-  
 nem: & est regula atq; iudicium eorum omnium,  
 quæ in artibus pertractantur, & propterea eo in-  
 tellecto, possunt per resolutionem ordine quodam  
 reliqua ad artem spectantia inuestigari. Sic Ari-  
 stoteles cap. 1. lib. 1. de priori resolutione finem lo-  
 gicæ proposuit, quo intellecto, reliqua ad logicam  
 spectantia nos docuit. Hinc Aristoteles lib. Ethic. 3.  
 cap. 3. resolutionem definiuit : causarum ex causis  
 contin

continuatam usq; persecutionem donec ad prima  
 principia illius rei de qua queritur perueniamus:  
 ab hac resolutione Methodus resolutiua uocatur,  
 qua proposito fine artis, beneq; intellecto, seria-  
 tim quæq; resoluendo uestigans, donec ad princi-  
 pia uentum sit. Hac resolutiua methodo Aristo-  
 tes in lib. ethicorum ad Nicomachum usus est, ad  
 fine proposito, media per quæ consequi cum posi-  
 mus, inuestigauit. Secunda, inquit Galenus, ex *compositione*  
 positione inuentorum per resolutionem fit. Si quis  
 rectè primâ intellexerit, ei non difficile fuerit se-  
 cundam hanc quoq; intellexisse. Sicuti enim resol-  
 uere est à compositis ad simplicia ire, ita compo-  
 nere est à simplicibus retrogrado gressu in com-  
 posita ferri. Et quæ admodum eam methodum re-  
 solutiua uocamus, quæ ex intellectu fine, cuncta  
 ad eam requisita certo ordine nihil prætermitten-  
 do rimatur, donec ad elementa & principia artis  
 sit: ad eundem modum, eam quæ inde exorditur,  
 ubi illa definit, hoc est ab elementis principissq;  
 artis, & ad eundem finem per eadem media solo  
 mutato ordine graditur, compositoria. Quem me-  
 thodi ordinem ueluti ad docendum ualde accom-  
 modatum seruasse Aristoteles, tum in logicis, tum  
 in naturalibus uidetur, in illis à simplicibus ad *compositiua*

plexa, à primis complexis ad magis complexa, id est, ad syllogismos tendens, in his, id est, naturalibus à principijs et elementis ad magis magisq; composita semper accedens. Hinc est, quòd Aristoteles lib. 1. de natura. ca. 2. dicat: ex quo fit, ut ab ijs quæ in uniuerso genere uersantur, ad res singulas progrediendum esse uideatur. Et cap. 7. eiusdem lib. Nos quidem (ait) certè de eo dicemus, si antè de omni ortu explicauerimus. Est enim ordo is, quem natura prescripsit, cum ea quæ late patent, et communia sunt omnium, dixeris, tum denique ea quæ cuiusq; propria sint, cognoscere. Et libro tertio eiusdem nominis cap. 1. eorum (inquit) quæ propria sunt, posterior ea quæ ad communia pertinent, tractatio est. Et lib. 3. meteorol. ca. 5. ad finem, ac generatim quidem de eis omnibus dictum est, propriè autem ijs uidendum est, qui quodq; genus tractant. Cuius sanè methodi rationem Aristoteles cap. 4. lib. 1. de partibus ostendit: ne scilicet eadem sepius iteremus: à rebus uniuersis ad singulas, progrediendum erit. Quibus adiungitur, nos hac methodo naturam ipsam emulari, quæ à rebus uniuersis ad singulas progreditur, ut cap. 3. lib. 2. de generatione animalium ait Aristoteles: oportet autem artem naturæ emulantem esse: ut cap. 3. lib.

lib. 3. meteo. et cap. 8. lib. 2. de natura. et libro de mundo ad Alexandrum, Aristoteles memoria mandauit. Tertia methodus definitiua dicitur, nõ quia <sup>methodus</sup> definit, uel definitionibus utitur, uel à definitione <sup>metoda</sup> initium sumit: sed quia artis quam doctrina est generatim definitionem præponit, quibusdam ueluti capitibus omnes artis partes continentem, quæ capita rursus in partes dissoluit, hasq; iterum in alias, nec ab eiusmodi sectione, et membrorum declaratione desistit, donec omnia ad artem spectantia, saltem in genere declarauerit. Quæ docendi methodo utitur Socrates apud Platonem: quæ propter in libro de pulchro hæc ait. In omnibus o puer unicuique consilium, ijs quæ bene incipere uolunt, est intelligere quid sit id de quo disputatur, uel omnino ab errare est necesse, plerisque uerò lateat, quòd nesciatur rei substantiam. Eadem utitur Cicero in partitionibus Oratorijs, et officijs: unde ita scripsit. Omnis enim quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id de quo disputatur. Eadem etiam methodo usus est Galenus in libro artis medicinalis. Eadem deniq; methodo usus est Auicenna, in suo de medicina libro, quem canonem appellauit, et in eo quem metro compositum, cantica nuncupauit.

uit. Hac demum illustri methodo usus est Aristoteles in libris de anima: & in alijs multis libris. Quis igitur negabit, Aristoteli docendi methodum ignorasse? an omisit compositoriā? resolutoriā? aut definitiuā? O præclaras animi dotes! O felix nimium, & ter quaterq; beatum ingenium! O exosculandum in homine, & illo mortali, diuinum pectus, omni doctrina abundantissime præditum! quis te imperitum doctorem appellabit, nisi mentis inops? Quis te methodum in docendo non obseruasse dicet: nisi, qui viam ad discendum nunquā habuit? Et quod magis dolendum est, quum te oculis hisce meis uideam, non infimæ sortis uiros, nec inter postremos literarum alumnos numerandos, despici, uellicari, morderi, ab homuntionibus huiusmodi etiam abiectissimis: qui humanitatis habent tam parum, quàm nihil. Sed ualeant pestes illæ: ac abeant, longius abscedant quicunq; sint, suis cum nanijs propria inuidia consumendi. Ad institutū redeamus. Videndum nunc est, an triplici illi numero omnes methodi cōprehendātur. Respondeo esse tantummodo tres: idq; hac ratione probō. Aut scientia explicatur eo ordine, quo inuenitur, & est resolutiua: aut e contrariō, & est compositiua: aut definitiua. scientia, & in docendo ser-

uatur

uatur ordo partium definitionis, & est definitiua. Quod si instes nos methodum diuisionis omisisse: id planè negamus, propterea quòd diuisio nostris methodis logicis ancillatur: & cur inter dominas eā collocare dedignaremur, rationem reddamus. Diuidere non possumus, nisi adsit quod diuidamus. Illud autem quo diuiso, quodamq; ordine subdiviso, cuncta ad artem spectatiua certo ordine explicari possunt, unum illorum triū necessariò est, quæ superius inuestigauimus, principia scilicet: finis notio, uel cōmunis definitio, à quo uno orsus si ordine quodam, cum admiculo etiam diuisionis cunctas artis partes perlustraueris, non diuisiuam methodum, sed unam ex tribus à Galeno numeratis cum seruitio diuisionis efficies: ancilla igitur methodorum est diuisio, non methodus. Huc respiciens Aristoteles lib. 1. de priori reso. cap. 32. diuisionem partem siue ancillam methodi resolutiue appellauit. Sed nunc superest dubitare, quem nobilitatis ordinem tres istæ methodi sibi inuicè collate obtineāt. Galenus resolutiuā definitiuā dignitate præponit, sed qua ratione et quomodo, non expressit. Nos autem dicimus resolutiuā digniorem, tum quia à notione finis, cause uidelicet diuinæ & nobilissimæ exordium capit: ut Aristoteles docet cap. 3. libr. 2.

de



de natura: & cap. 7. lib. 1. de ortu & interitu: & cap. 2. lib. 5. prime phi. & cap. 1. lib. 11. eiusdem nominis, tum quia non solum docet, sed inuenit, & cōstituit. Tanta deniq; est præstantia huius methodi, quòd ueteres philosophi, si in errores inciderūt, propter ignorantiam methodi resolutiue factum fuit, ut optimè describit Aristoteles cap. 3. lib. 4. de prima philosophia. Illud deinde superest ut examinem, an eadem resolutiua superet compositiuam, quod certè tantò erit difficilior, quantò minus à Galeno, uel alio quod sciam uestigatum. Ego aliquando totam hanc disputationem breuibus sic absoluebam, resolutiuā dicens præstare in inueniendo, compositiuam in docendo, definitiuam in memorando. Sed nunc maturius consideranti, uidetur per hæc dicta quesito non plene satisfieri, cum adhuc in dubio sit, quenam absolute præstantior, in quo dubio mihi tenendum uidetur, quòd resolutiua sicut definitiuam, ita et compositiuā superet. Quicquid enim boni compositiua habet, id totum à resolutiua consequitur: si enim tolles resolutiuam, nihil habebis quod componas. Adde quòd (ut dixit Philoponus in lib. priorum) qui resolucere nouit, nouit etiā componere, non econtrariò. Quod Aristoteles confirmans, illos libros non de compositione, sed de resolutiua

solutione scripsit. Ex ijs igitur quid sit methodus, & quot eius species, & quæ illarum dignior, facile cognosces. Hinc præstantissime Rame, crede nõ bene te de methodis agere, proinde Aristotelem lege, ut quid in omnibus locis ipse uelit, cognoscas. Quippe ex his ipsis quæ monimentis literarū tradidisti, aperte utiq; demonstrasti, te nullam unquam ab Aristotelicis præceptoribus institutionē habuisse, ut illius decretū aliquod discere potueris: imò tibi ipsi pugnātia sæpe protulisti, iuuenes corumpens, quicūq; perinde ac tu non fuerit in Logica contemplatione exercitati, unde nesciunt ueros sermones à falsis discernere. Videris præterea audacissimus, qui dicta Aristotelis exponere sis aggressus, antea quàm ea perdidiceres.

## ERROR VNDECIMVS.

Syllogismi inuētorem plene Aristotelem fuisse, ostenditur: contra aliquos nostri tēporis Logicos.



Alenus lib. de historia philosophica, principium philosophiæ tribus modis dici asserit: nam & quod ut causa est, & modus aliqui constituedi, & quod est

est demonstrationis initium principium, ut causa, ut quando querimus quid sit id quod primos homines in opinionē philosophiæ induxit: quod sanē principium, ut Aristoteles lib. 1. primæ phi. cap. 2. enarrat, admiratio fuit. Propter enim admirationem nunc & primò ceperunt homines philosophari: deniq; admiratio principium inuestigationis dicitur. Principium constituendi est, quando querimus, quā pars philosophiæ sit, quæ prior in artem redacta fuit. Cui Aristoteles lib. 2. Elēch. cap. 9. dicebat, Facile est multa adijcere, & coapta re: propterea quòd inuenire, & omnino absoluerē eandem rem non omnibus datum est: unde potius laudandi, quàm uituperandi sunt, qui aliquatenus uitam adiuuarunt, & uiam præstiterunt, per quā

2. de celo. alia nobis comparare possumus: ut Hippocrates cap. 5. idem lib. 1. de dieta dixit. Principiū demonstrationis est, quando illud unde probare incipimus ea quæ apud nos inuenta & constituta fuerunt. Quod quidem ueteres etiam omnino non attigerunt: quæ admodum Aristoteles cap. 10. lib. 1. de celo: & cap. 5. lib. 2. & cap. 4. lib. de respiratione testatur. Multi igitur fuerē, qui inuenerunt, non tamen in scientiam aliquid reuocarunt: alij contrā. Denique si rem exactē perpendamus, nemo illa tria philosophiæ principia

principia absolutē perfecit, præterquàm Aristoteles: idq; non in omnibus, sed solum in natura rationationis interpretanda. Etenim Aristoteles syllogismos inuenit: syllogismos candidè et copiosè scripsit, & ad præcepta catholica scientiæ redegit: syllogismorum deniq; formas demonstrauit: ut nihil habeas, quod desideres. Et ne quis arbitretur nos hæc fingere: perspicuum est, ex ca. 9. li. 2. elen. Aristotelem se nobis syllogismorum inuentorem præstare. Et de rhetoricis (ait) quidem erant multa, & antiqua dicta, de syllogismis autem omnino nihil habuimus prius quicquam, quod dicremus, quàm quòd exercitationi huic proposita multo tempore insudauerimus. Hinc cognoscent omnes quàm falsò Ramus Aristotelem reprehēderit per totum librum. 1. suarum animaduersionum: absolute scribēs, Aristotelem loco citato dixisse, se logicæ inuentorem fuisse: & tantum abest, quòd logicæ meminert, ut nihil falsius: nō enim logicæ, sed syllogismi se Aristoteles facit inuentorem: quod et uerum est, et Ramus uelit, nolit, inficias nullo modo ibit: siquidem auctores, quos ibi affert, solum testantur ueteres aliquid logicæ posteris reliquissent: nihil tamen de syllogismis ab ipsam scriptū reperies. Aristoteles ergo author syllogismorū fuit.

M. nec;

neq; ullus hac in re deinceps dubitabit. At quid  
 utilius: quid magis ad scientias inuestigandas, & in  
 telligendas necessarium? Nihil enim potuit excogi  
 tari ad omne artium, ac scientiarum genus condu  
 cibilius, quam syllogismorum formula: nihil rur  
 sus magis necessarium: quam resolutionis acumen  
 & magnitudo. Inuenit tamen, dicit quispiam, non  
 uerò ad scientiam formas syllogismorum redegit,  
 non ad præcepta uniuersalia, & si interim id con  
 cedatur, imperfectè illa ostēdisse iterum instabūt.  
 Quis enim, nisi mentis inops illud dicit? quid di  
 cet: nec omnino cogitabit: cum per duos integros  
 libros naturam syllogismorum nobis perspicuam,  
 integram, & perfectam reliquerit. Et, quod incre  
 dibile uidetur, nullum nunc fore, nec fuisse mortu  
 lium, qui potuerit, uel latum unguem dictis Aristo  
 telis de ratiocinatione adiungere: sic omnia diges  
 sit, quæ inuenit, ut additione minimè indigeat. De  
 fuit multis ad inquisitionem artium, & ad præcep  
 ta illarum dexteritas, ut temerè sine arte, sine sa  
 gacitate quacunq; se uia aliqua ostendisset, illac  
 insisterent ad inuestigationem ueritatis: non pene  
 trarunt ex effectis ad causas primas, non ex com  
 positis ad elementa & initia, non ex singulis col  
 legerunt uniuersum, non ex uniuerso perceperunt

runt de singulis, & quasi fluiuium, quâ opus esset,  
 corruarunt. Non defuit Aristoteli ad syllogismi  
 inquisitionem dexteritas, & ad præcepta traden  
 da ingenij acumen. Quid uerò in constitutione  
 omisit: principia syllogismi apertè docuit: naturâ  
 syllogismi planè depinxit: syllogismi formas copio  
 se demonstrauit: modos propositionum, & ex istâ  
 syllogismum mistū magno ingenij acumine, tradi  
 quis neget? Propositionum abundantiam, medijs in  
 quisionem, atq; deniq; omnium resolutionē per  
 fectè absoluit: omnes tandem affectiones syllogis  
 mi acutè & artificiosè indicauit. Quid tu Rame  
 dicis, Aristotelem te disputando uicturum? Ne iu  
 res ipse, ego id pro te deierabo, & quidem persan  
 ctè, nam quas artes tu modò exomniasti, quas nu  
 gas, & quidem ex illius, ut putas, placitis, ipse si re  
 uuiscret, non intelligeret: ac ne suos quidem li  
 bros, ut tu explicas, cognosceret. Tu quidem Ari  
 stotelem uinceret, si tua somniata dogmata admit  
 terentur, sed illis sepositis, & ex communi homi  
 num intelligentia, & natura, uel uetula tibi fucū  
 facerent, & illam tuam inuicem loquacitatem  
 constringerent, ac cogent obmutescere. Cetero  
 rum quispiam dicit, uerum esse, Aristotelem syllo  
 gismi naturam inuenisse, & constituisse, non ta

men demonstrasse sub præceptis generalibus quibusdam: ut ex ipsis scientiam certam, & constantem haberemus. Quod ego perpendens, nihil pleniùs ac diligentius Aristotelem fecisse iterum atq; iterum assero. Nã ut à minutissimis exordiamur: reciprocationum leges sic sancit, ut nullo pacto diuelli possint: primam figuram ita muniuit, quod nemo eam exterminari ausus est: secundam iam perfecit: ut nihil perfectius uideatur: quid tertiam cõmemorem? quã directè, expositione, & argumētis incõmodū ducētibus, tam ritè & commode cõmendauit, quàm ineptè et stultè aliqui eam de medio tollere omnibus uiribus nituntur. Et ut finem faciam, nihil Aristoteles de syllogismo scripsit, quod certissima demonstratione, non probauerit. Verum igitur syllogismi inuentorem Aristotele esse, qui inuenit, constituit, ac demonstrauit, ueritate amatores, nunc de nouo cognouerunt. Quicquid garriat Ramus, suscipi deq; facimus: quado uix duæ sunt paginae, in quibus hic homo non mox sibi pugnantia scribat, quod utinam aliquando animaduertant, qui eundem satis temerè optimum Dialecticæ doctorem statuunt.

ERROR

## ERROR DVODECIMVS.

Enarratur quædam Aristotelis sententia, aduersus complures nostri temporis logicos: præcipuumq; medium ad sciendū facile ostenditur.



Aristoteles lib. 1. de priori resolutione cap. 1. statuens differentiam inter propositionem dialecticam, & demonstratiuam inquit: demonstratiuā non interrogare: nõ enim interrogat, sed sumit is, qui demonstrat: Dialecticā uerò cõtradictionis interrogatio nõ esse asserit. Multi existimant Arist. sibi nõ esse cõstantè: quippè qui cap. 9. lib. 1. de demonstratione, dicat: omnes scientias sibi peculiare habere interrogationes, quod fieri non potest, nisi per demonstratiuam propositionem, interrogabit igitur demonstrator. Respondeo sui Aristotelem nõ esse oblitum: duplex enim interrogatio est, una ad sciendū, quæ demonstrator utitur: hinc Aristoteles lib. 1. top. cap. 9. dixit: quedam problemata utilia ad sciendum, alia ad tentandum, quibus non raro Arist. lib. 8. top. utitur. Vides igitur nulla in Aristotelis dictis repugnantiam esse. Quomodo enim potuerat Aristoteles demonstratorem interrogare, negare: cum interrogatio sit præcipuum mediū

*duplex, una ad sciendū, quæ demonstrator utitur: hinc Aristoteles lib. 1. top. cap. 9. dixit: quedam problemata utilia ad sciendum, alia ad tentandum, quibus non raro Arist. lib. 8. top. utitur.*

M 3 ad

ad sciendum? Quapropter quatuor esse querenda in unaquaque scientia, cap. 1. lib. 2. de demonstratione, docuit. Et cap. 1. lib. 3. de prima philosophia interrogationem esse principium res arduas ac difficiles intelligendi scripsit. Et lib. 7. eth. cap. 2. ad finem idem quoque dixit: quod Socrates apud Platonem in Thæteto mirum in modum cõmendat: unde interrogationibus quàm sæpe utitur, ut ueritatẽ alicuius rei ostendat. Huc respiciẽs Horli. 1. epistolarũ ad Lolium in hanc sententiã scripsit: Inter cuncta leges, & percontabere doctos:

Qua ratione queas traducere leniter æuam  
Ne te semper inops agitet uexetq; cupido.

Ceterum mihi in presentia bonæ spei adolescentiæ admonendi ueniunt: ut doctissimos præceptorum res in suis studijs eligant: ne sub aliquo falso specimine obcæcati, in mille errores incidant: talesq; sibi comparant, & acquirant, quales Galenus lib. 1. de naturalibus facultatibus cap. 14. depinxit. Doctos, faciles, ingenij acumine præditos: ij sine negotio discipulorum obuiationibus satisfaciunt: deniq; quali quisq; præceptorum prius incidit, talis euadet: sunt enim hodie hoies, qui priusquam sectam aliquam discant: deinde longo tẽpore examinent, ac quod in singulis eorum uerum sit, aut falsum

falsum iudicauerint: alij logicos: alij se philosophos nominant, quum tamen nihil sciunt. Quo utique nunc minus est mirum, si ab ijs falsa cum ueris pari pretio censentur. Fugiantur quoque homines, quos Galenus libro primo prorrhæ. com. 2. enarratione. 57. sic describit. Sed pleriq; bonum relictus tum claris tum notis, enigmaticè dictis pronunciatissq; oblectantur. Sunt etiã qui patrocinari manifestis erratis documentum sapientiæ arbitrentur: eorum instar, qui apud tribunalia rhetoris obeuntes munus, manifestè uel cedis uel talis cuiuspiam flagitij conuictos à iusta liberant poena. Indices ipsos cum sermones rudes fuerint, & subdolos eorum improbãsq; uafrias ignorauerint, dicipientes, & mente uacillare facientes. Qui igitur prauam & uitiosam doctrinam degustarunt, attendant, quomodo ab eadem femoneantur: atque docti nullo pacto errores reprehendere desinant: propterea quòd ex eorum dissimulatione, non pauci errores, sententiãq; obscure in ipsis doctrinis scaturiunt: tamen dum errores deteguntur, simul bene dictis firma fides cõstituitur: ut optimè Galenus lib. 2. de differentia pulsuum in principio scripsit.

## ERROR DECIMVSTERTIVS.

Nullum esse Aristotelis in logica, & Dialectica opus: in quo & inuentionem & dispositionem non mirè docuerit: contra omnes nostri temporis, & prioris seculi logicos, ac Dialecticos.

**D**ialectica, auctore Aristotele ca. i. lib. i. topico. est Methodus, de quacunque disputatione proposita facile differēs. Omnis autem disputatio in probanda aut refutanda re de qua est quæstio, cernitur: quorū utrumq; argumentis perficitur, quæ sunt rationes rei dubie ad faciendam fidem: uel probabilia inuenta ad faciendam fidem. Tres autē partes dialectica, teste Arist. cap. i. lib. 8. top. habet: inuentionem, dispositionē, ac elocutionē: inuentione autē definitur ratio inuestigandi argumenti ad unāquāq; quæstionē, accommodata: Dispositio uerò definitur, eorum quæ sunt inuenta aptè collocādorū, ratio: elocutio deniq; est, inuentarum ac dispositarū rerū, ad alterum interrogatio: item propriū Dialecticæ est, interrogare. Et licet Aristotele in topicis has tres Dialecticæ partes cōscripserit in uniuersum: non negandum est particulariūs, in alijs logi  
ca

logicae libris, id etiam docuisse: imò rationi erat consentaneum, quacumq; tractatione, & rem inuenire, & eam ritè collocare. Docturus igitur Aristoteles, ut ab initio exordium sumam, prima rerum genera: ut ea aptè disponderet: & singulis rebus singulas classes accommodaret: deniq; omnia debitis & convenientibus locis poneret: prius locos ad id præstandum inuenit, per quæ facilius, quid bene, malè collocatum esset, perciperemus: ac si diceres, quibus aliquid probarctur, aut refutaretur. Etenim si inuentio est, ratio inuestigandi argumenti ad unamquancque quæstionem accommodata, erit & ratio, qua id quod disponere uolumus, inueniamus: atq; cum prima rerum genera ab Aristotele essent disponenda: Quid disponenda ritè unumquodque in suo peculiari loco apponere, & ordine elegantissimo collocare: inuentio necessario præponi debuerat, per quam illud facilius consequeremur: & an congruum et sibi destinatum locum haberent, dicto citius intelligeremus. Hinc octo locos, ante elementorum dispositionem nos docuit: ut bellè, his ducibus singula suis in locis collocarentur: tres à definitione locos in initio posuit: duos à diuisione: unum à genere: unum item à differentia: item unum à partium

enumeratione: ut igitur earum rerum quæ abscondite sunt demonstrato & notato loco facilis inuentio est: sic cum peruestigare aliquam rerum classem, uolumus: genus ne summum, medium, ac in firmum, item differentias, & res singulas, optime sint collocata. Quæ in medio locata sunt, genera sunt, sic quod unumquodque suum proprium locum habeat, quæ in utraque parte differentie nominentur: illis locis, si non omnibus, aliquibus saltem, aut refutabitur, aut probabitur. Nonne ea, quæ dispositi, uim ex aliquo locorum habet? & si quis dispositionem non esse constantem dicat, locum à quo eruta & deprompta fuit ad faciendam fidem, adducis: ut efficaciam ac energiam, luce clarius, dispositionem secum habere, demonstras? id certe, uel qui mediocriter in partibus Dialecticæ est uersatus, non obscure intelliget. Ad hunc sane modum, Aristoteles illos docuit locos, quibus seruat, uersa generum machina custodiretur, neglectis tamen, non solum destrueretur, sed & omnino eua nesceret. In unaquaque enim serie, maxime in ijs, quæ Aristoteli uisa sunt, maiori, & utiliori enarratione indigere, illis locis, nunc aliquid probat, nunc uero refutat, iam ratiocinationibus, modo inductionibus, ut nullum dispositionis genus, orationis,

nis, uerborum, ac argumentorum, uideatur silentio præterire, quo non in re seria ac utili, utatur. Sequuntur duo de interpretatione libri: Quid Aristoteles in ijs? Primum (ait) oportet constitutare, quid nomen, quid uerbum: deinde quid negatio, & affirmatio: atque tandem oratio et enunciatio. Iam rogo, de finitio alicuius rei ex quibus locis uenatur? ex locis à genere, & à differentia: ut monet Aristoteles lib. 6. top. Capite igitur primo docet genus ac differentias omnium, quorum est tractatio, inuestigare: ut tandem quid unumquodque illorum esset, ex sequentibus capitibus planius intelligerent. Ceterum in libro secundo, quosdam arguendi modos interpretaturus, non solum in enunciationibus de modo, uerum etiam in simplicibus, ac multiplicibus prius earum inuentionem, hoc est, locos eas multiplicandi, docet: deinde mutuam in eis arguendi modum, in quibus fieri potest, longo uerborum processu, insinuat, et ingenij dexteritate scribit. Libri de priori resolutione accedit: nunquid inuentio præcedit? Si inuentio est ratio ac doctrina inueniendi: quo pacto tu dispositionem figurarum inuenies, nisi prius earum principia, tum ad materiam spectantia, tum etiam ad formam attinentia, didiceris?

eris: atqui deinde ad dispositionem accedes: quod Aristotelem fecisse clarum est: cum illis referatis, capite quarto lib. 1. dicat: his uero determinatis dicemus iam per quæ, & quando, & quomodo sit omnis syllogismus: hincq; in probatione alicuius syllogismi, aut refutatione coniugij inutilis, quàm sepe utitur locis à definitione eius, quod est de omni, & nulli dici, & à conuersione, ut interim dum ad incommodum missum faciam. Proximè sunt de demonstratione libri, in quibus naturam demonstrationis expositorus: prius ex ueris, primis necessarijs, uniuersalibus, perpetuis, causis, & effectis, demonstrationem constare, inquit: deinde capi. 11. 12. &c. in qua potissimum figura, & modo demonstrationes fiant, & quæ alijs prestantiores sint, mirum in modum explicat: itaq; nullus liber logicæ est, qui inuentionem, & dispositionem non habeat, & nimium colat. Adest Dialectica, quæ de locis probabilibus, & fallacibus reprehensionibus agit, uerum in 8. prioribus libris de locis probabilibus dicturus, in septem libris inuentionem docuit, in octauo dispositionem: unde cap. 1. 8. lib. hæc dixit: post hæc autem de ordine, et quonam pacto oportet interrogare, dicendum. Tandem in duobus de fallacibus libris, prius. 13. captionum locos tradit:

dit: deinde dispositionem eorum exercet. Non igitur arbitror esse aliquem qui ignoret Aristotelem, tum in logicis, tum in Dialecticis, inuentionem & dispositionem pertractare: ut clarius sole, ostendimus, & demonstrauimus. Credo etiam non mediocrem frugem allaturos ueritatis amatores, ex hac nunc denud ueritate ostensa, cum interpretandis Aristotelis libris manum calamo admouerint: ut uix dici possit, quantam lucem hodie ad tenebras expellèdas, aperuimus: & ordinem enarrandi clarum, non laboriose ostendimus. Neq; est quod quis in me agat: propterea quod elocutionem partem dialecticæ statui, & de eâ Aristotelem non agere: cum eam passim ueniretur, commendat, ac omnibus modis exerceat. Non enim appellauit Aristoteles elocutionem, orationis ornamenta: sed usum, ac exercitium ipsius dialecticæ: ut cap. 5. libri. 8. top. Aristoteles interpretatur: ubi iam de tertia dialecticæ parte incipit differere: nêpe de ipso exercitio. Etenim, exercitium, meditatio, consuetudo, experientia, ac usus, in topicis Aristoteli idem est. Quantum autem insit ad bene differendum momenti in meditatione, dici posse uix equidem arbitror: quantum deniq; eandem Aristoteles commendat incredibile dictu est: lib. enim. 1. de priori reso. cap.



28. item cap. 1. 2. 3. et. 7. 1. top. item cap. 5. lib. 8. top. & alijs sexcētis locis, maximè usum dialecticæ cōmendat. Quid enim prodest inuētio? quid dispositio? nisi inuenta, disponat, disposita, mirum in modum mediteris? Hinc sapientissimè Aristoteles cap. 9. lib. 10. Eth. nō de uirtute scire sat esse, sed eniten dum, ipsam habere, dicebat: non igitur sat est locos inuenire, eos disponere, sed etiam inuenta ac disposita continuè exercere. Quippe in uniuersalibus methodus, in particularibus exercitatio consistit: ut author est Galenus lib. 9. methodi cap. 6. singula uerò exactius cognoscimus: non enim satisfaciunt ad exactam cognitionem uniuersales methodi: ut cap. 4. lib. 9. methodi Galenus ostendit: in singularibus igitur exercitare decet, ut methodam de uniuersis habentes, & usum de singulis, scientiam, quā nobis Aristoteles cap. 21. lib. 2. de priori res. depingit, facillè consequamur. Quid nō hominis ingenium consequetur, si exercitium, cum ingenio accōmodet? ingens enim, immensa, incredibilis est uis mentis humane, & cui nihil propemodum difficile sit, nisi quod non uult. Sic Marcus Cicero ad Brutum: Magnum, inquit, opus omnino, & arduum, Brute, conamur, sed nihil difficile amāti puto. Quocirca si qui facultatem hanc differendi seu difficilem ac arduam

arduā nimis perhorrescerēt, ac desperabūt, hi primum, ut Quintiliani uerbis dicam lib. 12. circa finem, renuncient sibi, quāta sit humani generis uis, quā potens efficiendi, que uelit: cum maria transire, siderum cursus, numerosq; cognoscere, mundū ipsum penè demctiri, minores, sed difficiliōres artes potuerunt. Nihil mortalibus arduum est: & dimidium facti, inquit idem author, qui cepit, habet. Nihil tā est difficile, quin id labore ac industria uinci queat: nihil rursus tam facile, cui non succumbat inertia. Quapropter optimè Protagoras asserabat, nec artem sine exercitio quidquā esse, nec exercitium sine arte: utrunq; igitur habiūrus est, qui abdita, & rerum arcana sibi comparare uoluerit. Quod Aristoteles animaduertens, Dialecticā, in dispositionē, inuētionem, ac exercitiū distribuit.

## ERROR DECIMVS QVARTVS.

Exploratur quædam Aristotelis sententia, & defenditur Aristoteles à calumnia, & male dictis Petri Rami.



Aristoteles lib. 1. de priori res. sol. cap. 8. de abundantia propositionum loquēs, singularia reijcit: propterea quod de nullo dicantur: uerba Aristotelis subi-

cio:

cio: omnium igitur quæ sunt, hæc quidem sunt talia: ut de nullo alio prædicentur uerè uniuersaliter: ut Cleon, & Callias, & quòd singulare, & sensibile: de his autem alia, &c. Dubium hic est, si singulare & sensibile idem sunt, quorsum Aristoteles adiunxit, & sensibile, & si differunt, in quo cernetur differentia? Quam ob rem non grauabor in præsentia omnia uerba significantia, res singulas, adducere: ut hic locus perspicuus reddatur: & alij non pauci curam & medellam assumant. Res igitur singulas hæc uerba significant, indiuiduum, singulare, subiectum, hoc aliquid, sensibile, unum numero, superpositum, prima substantia, natura, persona: de quibus omnibus minutatim dicendum erit: & quid unum quodque illorum significet, & quibus in locis ab Aristotele accipiat, quam breuissimè perstringam: atque tandem locus præfens Aristotelis intelligetur: quem Ramus, non intellexisse, nullus erit, qui ignoret. τὸ ἀτομὸν, indiuiduum, insecabileque significat: atque cum res singule in alias diuidi, ac secari minime possint, propterea à indiuidua appellatur: sic eas appellat Porphyrius cap. de genere: capite de specie: & capite ultimo: sic Aristoteles in categorijs cap. 2. & 5. & alijs sexcentis locis: atque non solum de rebus singulis categoria substantia dicitur,

tur, sed etiam de singulis cæterarum categoriarum: quemadmodum cap. de genere copiose demonstrat Porphyrius: & cap. 2. categ. Aristoteles. Vtraque enim partiri in alias partes nequeunt. Dicuntur item atomi, minuta quædam corpuscula, qualia uidentur in sole, cum per fenestram radios ac lumen immiserit: ex quibus omnia oriri atque in eadem re solui quidam assueuerant: ut apud Aristotelem cap. 2. lib. 1. de ortu & interitu scriptum est: eiusque sententiæ complures citat auctores. Tametsi ego crediderim illos philosophos non radios illos solis, sed potius elementa, quæ in partes diuersarum formarum minime diuidi possunt, si Hesiodo credimus, intelligere, quemadmodum latius alibi, Deo uolenti, ostensurus sum. Hinc etiam species indiuidua appellatur, cuius rei locupletissimus testis est Aristoteles, qui cap. 2. lib. 2. de prima phil. & cap. ultimo lib. 2. de priori resol. species indiuidua nuncupauit: quasi in alias formas non possint diuidi, teste eodem Aristotele cap. 3. lib. 8. primæ phil. quo in loco species in puncto consistere asseruit, & probauit. τὸ καθ' ἑαυτὸν, apud Aristotelem singulare, singulumque significat: idque categoria substantiæ: ut Socratem, Platonem &c. sic sumitur lib. 1. primæ phil. cap. 1. Et lib. 5. cap. 11. Et in poeti

ca. Et lib. 1. rhet. cap. 2. Et. 2. de generatione animalium cap. 1. Et. 4. sect. prob. questione. 16. Et cap. 3. lib. 1. econom. Et cap. 5. lib. 1. de interp. Et. 1. de demonstratione. cap. 2. Et. 24. Et. 6. eth. cap. 6. Et 3. eth. cap. 3. Et cap. 5. lib. 1. de natura. Et lib. 2. de anima. cap. 5. Et alijs mille locis. Sapē etiam Aristoteles ἡ καθύπερθε speciem uocat, ut cap. 14. lib. 2. de demonstratione. Et in Categorijs. cap. 8. et. 12. Et cap. 23. lib. 2. de priori res. Et cap. 10. lib. 1. top. Et cap. 1. lib. 1. de natura. ἡ ὑποκειμένη, subiectum significat apud Aristotelem in toto organo. sed uaria significatione: aliquando enim inferiora sub superioribus subiecta dicuntur: ut species generibus: hinc Aristoteli usitatum est loquendi genus de subiecto dici. Et cap. de substantia idem non raro reiterat: aliquando substantiæ accidentibus subiecta sunt: unde cap. 2. categ. dixit, in subiecto esse dico: quo sanè modo singulorum Categoriæ substantiæ est, quoniam ipsi omnia subiiciuntur. ἡ δὲ ἴδι, id est, hoc aliquid soli quidem singulari. ac indiuiduæ substantiæ competit: sumitur autē ex significatione substantiæ: cum enim habeat unaqueq; categoria suū quoddā genus attribuendi, et propriam quandam significationem, ut alia quantum significare dicatur, alia quale, alia ad aliquid: sic etiam substantiæ

tiæ est propria quædam significatio, quam Aristoteles multis in locis. cap. 7. 1. top. Et cap. 1. lib. 7. primæ philosophiæ. eā esse dicit, ut substantia quid significet, hoc est, rem illā, quæ aliquid esse, quod uere ac propriè sit, dicatur: quum alia omnia non significant quid, sed uel quantum, uel quale, uel simile aliquid. Fuit autem inter Platonem et Aristotelem de significatione substantiæ dissensio. Plato enim ideas quasdam esse dicebat substantias uniuersales, easq; multo magis aliquid unum numero esse putabat, quā ipsa indiuidua: atq; adeo ex Platonis sententia omnis substantia hoc aliquid significat, hoc est, unam quandam naturam propriè ac per se coherentem. Aristotelis alia est sententia, uult enim res uniuersas non significare aliam rem præter ipsa singularia, tantum autem à singularibus distingui ratione quadam, ob idq; primam tantam substantiam uult significare hoc aliquid, id est, rem quandam unam numero propriè ac per se coherentem: secundas autem substantias non significare hoc aliquid, nisi ratione substantiæ primæ in qua cernitur. ἡ ἐπίστυλον. rem, quæ subiecta est sensibus, et quæ sub sensum cadere potest, quæ denique sensibus percipi potest, significat: ut hoc album, hoc dulce, hoc odorum, hoc frigidum, hoc

sonorum, quæ ad categorias solum accidentium spectant. Hinc est quod Aristoteles lib. 2. de anima cap. sexto de ijs accidentibus, quæ sentiri possunt, agit, quæ sensibilia nuncupauit. Et cap. 1. lib. 3. de anima idem repetit. Quod si istes Socratem sentiri, respondet Aristoteles: per aliud autem & improprie mouere dicitur, ut si Diaris filius albus sit, improprie enim ac per aliud hunc sensu comprehendit, quod albo cuius erat sensus, accidit illud. Hinc etiam est, quod cap. 28. lib. 1. de prio. singulari re, & sensibile dicat, illud ad categoriam substantiæ referens, hoc autem ad categoriam accidentium: ut exemplis, hoc album, & Callias docet. Quo fit, ut intelligas, quorsum Aristoteles singulare et sensibile dixerit. Neq; in recitando exemplari Græco tempus terere uolo, ut inepte nostrates logici faciunt: sat est, studiosis admoneri, ne nec latum quidem unguem, a uera Aristotelis sententia, & uerbis discedere. ἢ ἀριθμῶν, id est unum numero: sic Aristoteles cap. 1. lib. 3. de generatione animalium: & in categorijs cap. 2. & 5. Et cap. 6. 1. topic. Et cap. 1. 7. top. res singulas predicamenti substantiæ appellauit. ἢ ἰσότητος, natura subsistens, uel suppositum Latinis dicitur. At hypostasim quamquam omne singulare in genere essentiæ Græci uocant, usur-

usurpatum tamen in eo tantum supposito, quod rationis est particeps: sicut & persona, quæ tamen Deo quam angelis, & omnibus ratione præditis conuenit: ut paulo post dicemus. Item hoc suppositum dicitur essentia, quatenus est: diciturq; prima substantia, seu essentia, neq; eius aliud est nomen Latinum: ut testatur Quintilianus. lib. 3. cap. 3. Cicero uertit naturam, idq; non semel. Causam certe Quintilianus non habuit, cur aliud nos uerbum non habere, quam essentiam diceret, substantia (inquam) dicitur, quoniam in nullo subiecto est: ut late Aristoteles in categoria substantiæ monet, in qua omnia superiora locum habent. τὸ Ἰσότητος, Theologi uocant personam, non qualis fuit Roscius in theatro, sed substantiam indiuiduam, & intelligentem, quam supra etiam hypostasim appellauimus. Vnde in symbolo Athanasij, hypostasim, id est, personam, diuine exploratur. Tria inquit Boetius in libello de duabus naturis, requiruntur, ut aliquid persona dicatur, scilicet quod sit indiuiduum: non enim in rebus uniuersis, sed in singulis tantum persona dici potest. Deinde sit in genere substantiæ: etenim accidentia quum per se non existant, nec per se agant, personam constituere non possunt. Deniq; sit ratione præditum, quoniam, id est per-

sonans quātum ad ipsam actionem, quod in se habet, quod possit agere & non agere: & hoc solum rationis capacia habent: ideo de ratione personæ est, quod rationis capax euadat. Non ergo lapidis, uel arboris, uel irrationalis animalis, sed uel Dei, uel angeli, uel hominis persona dicitur.

Hinc Boëtius definit personam, incommutabilis naturæ indiuiduam substantiam. Quam definitionē

optimè & exactè defendit Diuus Thomas multis in locis. Vnde Laurentius Valla omnibus modis

reprehendendus uenit, qui lib. 6. Elegantiarum lingue latine cap. 34. aduersus Boëtium contendit, personam in Deo nō reperiri, ut neq; humanitas in bruto. Sed huic (ait) homini Romano ostendā, Romanè loqui nescire. Quid improbe ostendis? ad cōne uiros doctos odio prosequeris: ut non solum eos impugnando mille errores dicas: sed tui oblitus in hæresim omnibus notam, incidas? Rogo & tu sis iudex, cui magis fidem adhibebimus, tibi uel, an diuo Augustino, aut Hieronymo? his sanctis, ac doctissimis uiris proculdubio dices, si modò illi, tres in Deo personas esse dicant, ut alia sit patris, alia filij, alia spiritus sancti, ut Athanasius dicebat. Vide igitur quā perperam de ueritate sentires, cū diuus Hieronymus, in Epistola ad Damasum.

masum id latissimè probet ac confirmet: Diuus etiam Augustinus lib. 5. de trinitate. cap. 9. Et. 7. de trinitate cap. 6. His accedit concilium Toletanum undecimum: Eusebius quoq; Casariensis lib. 10. Ecclesiasticæ historie cap. 29. At quid in re tam perspicua multis opus est cū constet, quā impie de uerbo personæ scripseris. Erasmus etiam sententiam Laurentij uidetur amplecti in paraphrasi ad illum locum ab eodem denuò recognita. Verba Erasmi hæc sunt. Sunt autem & personæ in diuinitate, & quidem qualitates, non substantiæ, si Valle creāmus, pater, filius, spiritus sanctus. Quæ iam tres personas concedant, in deterius malum incidunt, existimare non substantias, sed qualitates esse. Budæus quoque in epistola ad Iacobum Sadoletum lib. 1. epist. eandem sententiam habuit. Vide aut igitur boni uiri, quantus delectus debeat accedere in huiusmodi authoribus perlegendis, ne in errores incidant. Illud etiam silentio non est prætereundum quod Valla asserit, uerbum, persona, ante inauditum fuisse, & hodie nemo nisi imperitus sic loquitur. Iam ut latius & apertius hunc tuum errorem confundam, rogo, quoniam modo intelligas uerbum, persona, inauditum esse: estne inauditum apud authores sacros, an pro-

phanos? Si primū dicas, aperte mentiris, cum apud eosdem latissime pateat, ut apud diuum Salonium super Ecclesiastem cap. 12. Et Leonem papam in sermone. 3. pentecostes: Et diuum Cromacium super Math. eum cap. 6. Et Lactantium Firmianum lib. 4. diuinarum institutionum cap. 29. Et Tertulianum in lib. aduersus Praxeam: Et Cyprianū in sermone de coena domini: Et Iob. cap. 24. Nō accipies (inquit) personam principis, & multos alios. Si secundum planē hallucināris. C. enim Bassus, teste Gellio. lib. 3. cap. 7. eo utitur. Aristot. lib. 3. de partibus animalium cap. 10. Vnde Horatius in arte. Post hūc personae pallēq; repertor honeste. Quapropter turpiter aberrare Vallam, & temere in Boetium agere, docti ex dictis facile iudicabunt. Optimum sanē esset, ut quemadmodum legifatores eadem poena eos qui falso accusant afficiunt, qua illi quos accusarunt essent plēctendi, si dānati essent: ita quoq; & illi qui falso his contra dicunt quae nunquam didicerunt, meritam pro eorum ratione, quae ipsi commiserunt, poenā penderent: at quū nescio quo pacto liceat quidem de iniuria uocare in ius, nullaq; de his qui falso criminantur sit lata lex: iure, mea quidem sententia, audent sordidissimi quiq; contra praestantissimos uiros

uiros dicere: quemadmodū Valla iste, qui tam imprudenter omnes uiros doctos maledictis incescit pro dolor. Si aequalis poena sua uiperinae & indoctae linguae attribueretur, ipse suo periculo scaperet, & alijs ruinam minaretur. Et fieret, ut Ramus in animaduersione cap. 28. tā ineptē de Aristot. nō pronūciauerit, propterea quod singularia reiecit. Quod prudentissimē Aristoteles fecit, nā cum syllogismi ad demonstratiōem conficiendā destinarentur, quam singularia non ingrediuntur, quoniā de ipsis nec scientia, nec demonstratio habetur, sit, ut meritō ad propositionū abundantia singularia procul reijceret. Sed placuit Ramo omnia fingere, modō in odium multorum rapiat Aristotelem.

## ERROR DECIMVS QVINTVS.

Aristotelem omnibus philosophis antependū esse ostenditur: atque ignorantiae causa, alios quos infime notae uiros, in eum agere, facile pronūciatur.



Per epretium sanē esset, ut sicuti in Aegypto antiquitus quaecunq; artium inuenta a publico peritorum hominum collegio iudicata columnis quibusdam

busdam in locis sacris repositis inscribentur: sic  
 & apud nos esset cruditorum pariter ac iustorum uirorum aliquis institutus publicus cōfessus, cuius esset noua auctorū opera perpendere, atq; ea quæ bona essent, in publicis locis reponere, quæ uerò secus, interneconi tradere. Sed & id præstaret, ut ne nomina quidem auctorum referrent, quod etiam priscis illis temporibus in Aegypto fuit obseruatum. Hac enim ratione eorum qui gloriæ quàm maxime cupidi sunt, studium retunderetur. Verum nunc, postea quàm omnibus scribere licet ac quibuscunq; etiam ineptis datur iudicandi facultas, audacissimi quicq; à multitudi-  
 ne habentur in honore, quod Ramo in his euenit, quibus Aristotelem criminatus est. Libros enim 20. composuit, in quibus (ut ipse putat) Logicā ac Dialecticam Aristotelis redarguit, perspicuè tamen seipsum ostendit, ne uel tantillum quidem doctrinæ Aristotelis unquā percepisse. Atqui æquū sanè fuerit, illum prius eā addiscere, ac sic deinde ad cōtradiciendū accedere. Fortasse uerò neq; sic exactè dictū est: quia si probè illā didicisset, minime auderet ueris aduersari ni impudētissimus esset. Quis quæso, per Deū immortalē, ueris reluctari poterit, modò sit mentis compos: quis unquam  
 methodū

methodum artium planius uno Aristotele ostendit: hoc non facile erit argumentum ad id persua-  
 dedum, quod Dialectica nulla alia digna uisa est, quæ perueniret ad posteros, nisi Aristotelica. Sed reprehenditur in Aristotele obscuritas: quam quidem ipse affectasse dicitur, propterea quod breuis esse laborabat: orationi enim breui multum inest sapientiæ: ut uerbis Sophoclis utar. at cur breuis? ut rem exerceat, et nō uerba. Sapientissimè quidem Cleantes interrogatus à quodam, cur inter ueteres cū non multi philosophati essent, plures tamen quàm nunc clari euassissent: quia, respondet, quidem res ipsa exercebatur, nunc autem uerba solū. Quod si aliqui ex nostratibus Dialecticis animaduertenti, iuuenes, suis præclaris institutionibus, inani quodam leuissimorū uerborum furo non adumbrarent: rerum autem optimarum, & ueritatis solidæ inanissimos redderēt. Tanta est autem suauitas rerum, atq; orationis in Aristotele, ut iure existimari possit, Charites aliquid succi aspersisse de manibus: ut etiam uerbis utar Callimachi. Aiunt Aristotelem Sophismata, & uarias docere. Quid minus? cum ipse dicat Veracitrum crassiusculè sumptum purgare, in potionem uerò leuigatum suffocare: sic nimis anxiam ac  
 subtilem

subtilem in philosophia disputationem. Neq; est, quod dicant artem Aristotelem non exercere: nā quid magis unquam commendauit, & ad sidera usq; extollit, quam non de arte scire sat esse, sed laborandū, eandem habere ac exercere: Methodū in docendo Aristotelem nō obseruare inquit: nihil falsius in rebus dictis indicauimus. Iā relicto Arist. aduersus Peripateticos agunt. Libertatem semper fuisse philosophis aiunt, dicendi, quæ sentirent: nec solum contra principes aliarum sectarum: sed etiam contra principem suæ: quanto magis ijs qui nulli sectæ se addixerunt. Quominus ferendi sunt recentes Peripatetici, qui nullius sectæ homini interdicitur libertate ab Aristotele dissentendi. Sæctator enim mihi ille esse uidetur, qui uni magis, quam alijs se addicit sectæ & disciplinæ: contra uero is, qui sanam doctrinam querit ac ueritatem, uerè liber ac sapiens est. Quare Aristotelē, ut magis omnibus ueridicum, et doctum logicæ ac Dialecticæ sequor, atque illius doctrinam amplector, & imitari studeo, nihilominus et quæ ab alijs bene tradita sunt recipiens, & extollens. Hæc eò dicenda putauim, non solum ut magis ament Aristotelem iuuenes, sed etiam ut cogitent, cur sit amandus, & in manibus habendus: planeq; ita sentio, magnam

magnam doctrinarū confusionem secuturam esse, si neglectus Aristoteles fuerit, qui unus, ac solus est methodi artifex. Quare iuuenes hortor, non solum ipsorum causa, sed etiam propter uniuersam posteritatem, ut hoc optimum doctrinæ genus, diligenter colant, ac conseruent.

## ERROR DECIMVS SEXTVS.

Locus Aristotelis elegans, idem tamen subobscurus, accuratè ponderatus: in quo de magis expetendo, & fugiendo, quod necessariò secuti sunt in disputando, ueteres Peripatetici, agitur.



Aristoteles cap. 22. lib. 2. de priori resolutione, de mutua oppositionum cōuersione agens, huiusmodi præceptū docet: Si duæ repugnantia sint, & in utrisq; expetendum & fugiendum: oppositum magis expetendi erit potius fugiendum, quam oppositum minus eligendi: ueluti ualetudo, & morbus: opulentiæ, & inopia: ex ijs ualetudo, & opulentiæ appetenda sunt: sed necesse est ualetudinem magis expetendam esse, quam opulentiā, quæ ipsa quoq; expetenda.



expetenda est. Namq; ualetudo pars felicitatis est ut Plato in lib. de rhetorica, quem alio nomine, Gorgias inscripsit, inquit. Et lib. 3. de republica. atq; etiam Aristoteles cap. 8. lib. 1. Ethico. Et cap. 5. lib. 1. rhetoric. Diuitiæ & si aliquid ad felicitatem conducant, sat est, esse bona externa, ut Aristoteles ait. quibus sanitas ipsa indiget, quominus diuitias, quàm ualitudinem expetamus. Quàm igitur ualetudo magis quàm opulentia expetetur: per Aristotelis præceptum, oppositum ualitudinis, scilicet, egritudinem, magis quàm oppositum opulentia, uidelicet, inopiam, fugiemus. Quare inter illa duo mala, minus eligemus, nimirum inopiam, & maius, hoc est, mortū fugimus: quippe quæ opposita ualitudini sit. Atq; hoc rationi nimis consentaneum est, quoniam Aristotelis est doctrina cap. 1. lib. 3. top. quod propter se eligitur, eligibilius esse eo, quod propter aliud est: at Sanitas propter se expetitur, ut ibi inquit: opulentia uero propter aliud: si enim pecunijs est opus, id est, quoniam sine illis nulla res necessaria fieri potest. Nullus enim honor at diuitias propter se, sed propter aliud: uerba sunt Aristotelis, in ultimis uerbis capituli superioris. Sanitas igitur diuitijs eligibilior. Quod autem magis eligamus inopiam, quàm morbū: cap. 3. lib. 3.

9. lib. 3. top. per aliquot loca, ostendit Aristoteles, Præceptum itaq; Aristotelis in propositis exemplis uerum est, & catholicum uidetur. Verum si rem paulò alius perpendamus, & intimius Aristotelis præceptum rimemur, non pauca crunt exempla, quæ illud corruiere faciant, & omnino destruunt. ut tandem Aristotelem, doctorem imperitū, qui nobis regulas uniuersales non præbeat, possemus appellare. Hæc igitur exempla sunt. Oēs, qui de natura aliquid perscrutantur, cognoscunt, sensum uisus esse digniorem cæteris, eundemq; nos magis diligere: ut testis locupletissimus Aristoteles est, qui lib. 1. primæ phi. cap. 1. ipsam uideat, ait, præ omnibus alijs elegimus. Quod etiam asserit idem Aristoteles cap. 2. lib. de somnijs et imaginibus: & cap. 2. lib. 2. de generatione capi. 12. sensus igitur uisus potior & elegantior est, tactus sensu. Ex Aristotelis autem præcepto, magis fugiendum erit oppositum uisus, uidelicet cæcum esse, quàm tactus oppositum, quod est mori. At quis hoc concedet: quis tam imperitus & iners, qui potius mortem, quàm cæcitatem eligat? quinimò non defuit, qui magis cæcitatem, quàm uisum optarit: ut Democritum fecisse legimus apud Gellium lib. 10. suarum noctium cap. 17. Democritus sanè lumi

nibus oculorum se priuauit: quia existimaret cogitationes, cōmentationesq; animi sui in contēpladis naturæ rationibus uegetiores & exactiores fore, si eas uidendi illecebris, & oculorum impedimētis liberasset. Si luminis oculorum priuatio alicui, ipso lumine melior fuit: utroq; præstantiorem uitam esse, quis nisi mētis inopiam, ibit inficias? id quod Homerus perpendens in hunc modum cecinit.

Malim in agris habitans seruire apud alium  
 Pauperem uirū, cui nō multus suppeteret uictus,  
 Quam omnibus umbris mortuorum imperare.

Præceptum igitur Aristotelis catholicum non est. Item si conferamus inter se temperaturam ipsam, & sanitatem: temperatura sine dubio magis expendenda est: ut Aristoteles cap. 2. lib. 8. top. scribit. Si uerum igitur est Aristotelis præceptum, magis fugiamus intemperaturam, quam ægritudinem. Sed quis est, qui hoc uelit? præceptum igitur Aristotelis non in omnibus uerum. Ad hæc bene uiuere magis expetendum est, quam uiuere, teste Aristotele cap. 2. lib. 3. atqui non bene uiuere, non est magis fugiendum, quam non uiuere: ut omnibus constat: oppositum igitur magis expetendi, non magis fugietur. Quapropter inquirenda methodus est, per quam præceptum tanto uiro dignum uniuersum

sum reddamus: simulq; explicemus, quid sit, cur regule Aristotelis dicta exempla non possint adaptari. Caterum nullam aliam quæremus, quam eā, qua semper in obscuris Aristotelis uerbis interpretandis usi sumus: scilicet Aristotelem obscurū, per eundem clarum interpretari. Ipse itaq; Aristoteles lib. 8. topic. cap. 2. in hunc modum superioribus excursionibus respondet. Similiter autem et contra instantes, quoniā maiori bono, maius opponitur malū: proferūt enim quoniā sanitati minori bono quam bona habitudo, maius malū opponitur: nā ægritudinē maius esse malū mala habitudine: auferendum igitur & in hoc in quo instantia est: nam ablato, magis ponetur quoniam maiori bono maius malum opponitur, nisi conferat alterum ad alterum: quemadmodum bona habitudo ad sanitatem. Hæc est Boëtij uersio: quæ prius reprehēdenda est, quam ad intellectum uerborum accedamus. Tota Aristotelis methodus, per quam exemplis in retrodictis positis satis facit, consistit in illis uerbis, nisi conferat alterum ad alterum, quæ secundum Boëtij interpretationem tantum abest, ut ambiguitatem diluant, quinimō ipsam augeant, & in nullo exemplo præceptum Aristotelis uerū esse indicant. An non in exemplo, de sanitate, &

O

opulenta

opulentia, uera doctrina Aristotelis erat: quis tamen non, nisi cecior talpa, uidet utrumque; utriusque conferre? Lapsus igitur Boëtij fuit in uersione illius uerbi, *οὐκ ἀντιφρασι*, non enim conferat, sed coinferat, ueritatem erat: unde nec sibi, nec alijs occasionem errandi præberet, & maxime Burane, qui eadem labi fuit indutus, ut constat ex capitis. 22. lib. 2. de priori resolutione & narratione. Hinc cuedent ueritatis studiosi, quantum sit laborandum, ut utranque linguam optimè calleant: ne fortasse uno errore admissio, multos alios inde prouenire faciant: ut Boëtio contigit, qui ut suam uersionem optimam redderet, addit uerbum illud, ad alterum, quod in exemplari Aristotelis Græco non reperitur, neque tantundem, uerbum illud, ad in exemplo ultimo: quemadmodum, ait, bona habitudo ad sanitatem. Verba igitur Aristotelis sic uertenda sunt: nisi coinferat alterum quemadmodum bona habitudo sanitatem. Quorum uerborum hic est sensus. Si due repugnantia sint, & in utrisque expectandum & fugiendum: oppositum magis expectandi erit potius fugiendum, quam oppositum minus eligendum: ita, inquit Aristoteles, in superiori loco uerum est, & catholicum, nisi unum coinferat alterum: hoc est, ni maius bonum inferat minus,

nis, & hoc ab illo continetur: ut firma corporis affectio maius bonum ualeitudine est: sed malum ualeitudini contrarium, hoc est morbus, maius est, quam malum firmæ corporis affectioni contrarium, hoc est, infirma corporis affectio, quæ ita à ualeitudine aduersa continetur, sicut ualeitudo à firma corporis constitutione: est enim firma corporis affectio ualeitudinis constitutio: Item, ut sensus uisus eligibilior est sensus tactus: sed malum sensui tactus contrarium, hoc est mori, maius est, quam sensui uisus contrarium, id est cæcum esse: quod magis eligendum erit, propterea quod sensus tactus à sensu uisus continetur: illeque ab hoc inferatur: siquidem sensus tactus prior cæteris omnibus est: ut cap. 8. lib. 2. de partibus animi, inquit Aristoteles. Item bene uiuere infert ipsum uiuere, unde in huiusmodi repugnantibus sententia Aristotelis uera nullo modo, quum minus à maiori continetur, at sanitas non infert opulentiam, neque ægritudo paupertatem, propterea Aristotelis regula uera in ijs erat. Exemplum autem, quod Aristoteles capite uicesimo secundo ad superiorem regulam probandum, affert, est Platonis in conuuiuo: quo docemur amorē habere, amicitiam, non autē coniunctionem, finem constitutum. At quis crederet

concubitum nõ esse amoris finem: præsertim cum dicat, quarta sect. prob. quæst. 16. animalia ad coitum excitari, propter ortum animalium perpetuum: quod etiam Galenus cap. 2. & 9. lib. 14. de usu partium scripsit. Illud tamen Aristoteles probat in hunc modum. sint duo opposita secundum præelectionem, uelle, & nolle: & totidem secundum actionem, posse, & non posse: hinc quoniam in amore magis experiendum est, uelle amantibus gratificari, & non posse: quam posse, & nolle: igitur et minus fugiendum non posse, & uelle, quam nolle, & posse: unde uelle omnino erit experibilius, quam posse. in amore igitur amicitia eligibilior erit, quam coitus. Quis enim est, qui non cognoscat uelle gratificari, & gratificari non posse, amicitia signum esse, & argumentum amanti magis expectandum esse, quam posse gratificari, & nolle? Nã posse gratificari, faciendum, hoc est, coniunctionis signum est. amicitia igitur coniunctione melior, ut pote quæ amoris finis sit: maius detrimentum amanti ueneris complexus infert: quoniam amor seminis effusione contabescit. Quinetiã si amor in coniunctionem descendat, causa eius rei amicitia est: idque duas ob causas: uel ut amicitia faciat, & perficiat: uel ut ratam ac firmam reddat. amoris ergo finis

non

non coitus, sed amicitia est. Quod etiam probo in hunc modum. Finis nunquam impeditur in re cuius est finis: at ex nimio amore, Venus ipsa aliquando impeditur: nõ igitur Venus amoris finis est. Assumptio sic confirmo. Voluntas enim contrahit spiritus, et ad superiora reuocat, et imaginantem facultatem, à qua maxime iuuatur. Venus, impeditur: cumque homini proprium sit, non bene simul duabus rebus operam dare: si, ut coniunctio impediatur. His omnibus accedit Galeni sententia lib. 6. de locis affectis. cap. 6. quæ se habet in hunc modum. Ita Diogenem Cynicum narrant, uirum alioqui omnium mortalium, quod ad continentiam pertinet, constantissimum, libidini tamen indulgisse, nõ à copulata illi uoluptate, ueluti bono aliquo illatum, sed ut noxam, quæ à retento semine provenire solet, euitaret. Eum meretrix adire pollicita, cum diutius cessaret, ipse manu pudendis admonita, semen proiecit, ac uenientem deinde mulierculam remisit, inquit, Manus Hymeneum celebrando te præuenit. At planè constat modestos uiros, non ob uoluptatem, sed ut ab impedimento præseruetur, libidini indulgere, perinde ac si nulla esset ei uoluptas coniugata. Ex his Galeni uerbis facile etiam colligitur, coitum non esse amoris

Cur amantes quãdoque prohibentur ne uti possint Venere cum amantibus.

O 3 finem:

finem: quemadmodum Plato docebat: & Aristoteles deinde suis commendauit.

ERROR DECIMVS  
septimus.

Quid ualeat apud Aristotelem uerbum, quid, ostenditur. Item locus purgatus libri quarti topico. capite sexto: cuius sensum interpretes non perceperunt.



Aristoteles cap. 28. lib. 1. de prio. resol. ea quæ rem ipsam sequuntur, docens: in hunc modum, ait. Diuidere autem quæ sequuntur, in ea quæcunq; in quid est, & quæcunq; ut propria, & quæcunq; ut accidentia prædicantur, oportet. Quæ autem sint illæ, quæ in quid dicuntur, non intelligunt interpretes, nec explicant. Ego tamen existimo per ea, quæ in quid de altero attribuntur, Aristotelem, genus, definitionem, & differentiam intelligere. Ac primum quidem genus in quid dicitur: ut ipse Aristoteles. capite quarto libri primi topicorum & alijs in locis scribit. Deinde definitio (sub quam speciem intelligit) in quid dicitur: quemadmodum

modum cap. 3. lib. 1. top. idem autor asserit. Postremum differentia, sola enim genera & differentia in quid dicuntur. uerba sunt Aristotelis capite secundo libri septimi topico. Et capite decimo quarto libri secundi de demonstrat. Et ex aliquorum mente idem cap. 6. lib. 4. topicorum probat: Quoniam autem (inquit) uidetur quibusdam & differentia in eo quod quid est, de speciebus prædicari. &c. Quo in loco obiter aduertendum est, per præteritum Boëtium, & Antonium Demochærem uertisse, quoniam autem uidetur in quibusdam. quum exemplar Græcum sic legat: ἴτιν ἂν λέξι τισί. &c. Videamus ergo utrumne consentiant Aristotelis superiores sententia, cum istis, quæ Porphyrius capite de genere scripsit, quo reuerti uerba Aristotelis percipiuntur. Porphyrius itaque capite de genere. discrimen inter genus ac differentiam assignans, inquit genus in quid, differentiam, in quale, dici. Quod igitur Aristoteles asserbat, Porphyrius plane negat. In tanta diuersitate quem sequemur? cui credemus? pariter est utrique autoritas. Aristotelem & Porphyrium sanè sentio sequendos esse: quum uterq; uerum dicat: & unus alteri non contrarietur. Opus igitur erit, ut eosdem sibi constare dicamus,

O 4 expli-

## DIALECTICORVM

explicatione uerbi, quid, in quo controuerſia eſt: ut tãdem quid uterq; uelit, cognoscatur. Verbum, quid, aliquando ſubſtantiam rei ſignificat: quo modo, tam genus, quã diffinitio, quã differentia, in quid dicuntur: hoc eſt, ſubſtantiam rei explicant: ſed diffinitio uniuerſam rei eſſentiã amplectitur: genus uerò partem unam, & differentia reliquã. Quandoq; uerbum, quid, quæſtionem ænotat, id eſt, reſpondere ad quæſtionem factã per quid: quo ſanè pacto non differentia, ſed genus reſpondetur: quemadmodum Ariſtoteles ca. 6. lib. 4. top. ſic inſinuat: Deinde quoniam ſecundùm eius, quod quid eſt, aſignatione, magis conuenit genus quã differentia dicere. Et id eſt quod uult Porphyrius cap. de genere: unde dixit, interrogantibus enim, qualis eſt homo? dicimus rationalis. Eſt autem rationale quidem differentia. Quando autem quid eſt homo interrogamur, animal reſpõdemus: eſt autem hominis genus, animal. Perſpicua igitur ſunt, quænam uelit Ariſtoteles, in quid, dici, nimirũ genus, diffinitionem, & differentiam. Propria eorũ etiam, quæ ſequuntur, ſunt, & ex ui & natura de re ſubiecta enunciatur, ut habitus ridendi, latos ungues habere, de homine dicuntur. Item & acciðentia, ut philoſophum, & grammaticum eſſe. Ex quibus

## ERRATA

109

Ex quibus facilè ad mentem Ariſtotelis numerum uocum, quæ à Porphyrio introducuntur, colliges.

ERROR DECIMVS  
oſtauus.

Explicatur locus Ariſtotelis in lib. 1. top. declaratumq; longè aliud illic ualere, ineſt autem rei, quã putarint interpretes.



Si mihi conſilium fuit, in ijs duobus Dialecticorum errorum libris eorum capita pertingere, quæ ad explicationem lib. de priori resolutione attinebãt: quòd cum hæcenus feciſſem, niſi liber hic ſecũdus minori numero capitum quã primus contineretur, ad errores aliorum librorũ non accederem. Idcirco propter rationem dictã aggredior explicationem uerborum Ariſtotelis difficilium, quæ in libris top. habentur: hinc ad categorias, & demonstrationes ſtylum meum conuertam: neq; tamen id quod fuerit in libris de reprehentionibus Sophiſticis, notatu dignum ſilètio prætermittam: quum iam errores Dialecticorum circa naturam enunciationum explicandam, in meis enarrationibus

O 5 bus

DIALECTICORVM

bus ad libros Aristotelis de interpretatione manifestarem. Antiqua igitur, & nondum finita, in naturali philosophia disputatio fuit: an accidentia de subiecto in subiectum transire possint. Et qui transire censent, argumentum habent de odore, qui accidens est, tamen ex pomo in manum transit. Aristoteles autem accidens ipsum de subiecto in subiectum transire posse absolute negat: quippe qui capite quarto libri primi topicorum ne co in dicat: inest autem rei. Quae uerba enarrans Porphyrius cap. de accidenti, inquit, semper autem in subiecto subsistens. Huius rationem ipse Aristoteles capi. 1. lib. 7. prima philosoph. ostendit. accidentis enim esse subiecto inherere est: quare si inheret, nunquam ab eodem secundum naturae ordinem dimouebitur. Hinc inter Aristoteles gradus controuersia orta est, quomodo argumento de odore occurrerent. Quidam putant nouum odorem in manu generari, sicut ex igne nouus calor in linteo fit. Quae sententia falsa est, & omnino absurda, adeo ut digna reprehensu non sit. Alij intimiùs, id rimantes, dixerunt, uerum esse odorem ex pomo ad manum migrari, non tamen eundem odorem numero, sed specie solum manere. Quibus respondendum est, propterea quod altius rem per-

Impossibile est esse, si ne co in quo est: in categ. ca. 2.

ERRATA.

perpendebant. At tu, qui regas eundem odorem, non numero manere, quid, per idem numero, intelligis? Idem numero nil aliud est, quam idem proprietate: ut constat ex Porphyrio capite de specie: hoc uerum esse dicitur: quum Aristoteles cap. 6. 1. topicor. & lib. 5. prima philo. capite sexto. idem uelut: & ratio id ipsum postulet. Sed eandem proprietatem habet odor in pomo, atque in manu: non solum igitur specie, sed numero eodem odor in manu relinquitur. Quapropter hinc ad ueram sententiam explanandam accingamur, quam non Sophisticè, non obscure, non late, sed methodicè, perspicuè, & breuiter exponemus. Odor sane non est in tota pomi substantia tanquam in subiecto, sed est in tenuioribus partibus uaporosis, quae partes corpora sunt. Et hinc est, quod cum pomum tractamus, ex manus caliditate meatus insensiles pomi aperiuntur, & uapores illi exeunt, qui sunt corpora, quibus odor tanquam subiecto inheret: unde illi uapores manus inherentes, pomi odorem in manu seruant. Constituamus iam ipsam sensum iudicem: sic enim oportet rem, quae ad naturam pertinet, tractare. Si hyeme pomum odoraueris, in principio nihil reodolet, quoniam eius insensiles meatus clausi sunt: cum

autem

obscure sententia quae

autem idem manu tractaueris, donec caleat, uel alio etiam modo caleat, adeo, ut euaporatio, in qua odor inest, exire possit, tunc iam odorem praesentire incipis. At si pomum diu tractaueris, in odorum tandem efficitur, propterea quod uniuersa euaporatio, cui odor innitur, exilit: & hoc in omni re odorata contingit: propterea odoribus coepta clausa seruari debent, ne euaporent, alioqui simul exit odor: idque nobis ipsa experientia ostendit. Siquidem odoratae confectioes, & quae nihil habent glutinosi, si in uase detecto fricentur, odorem amittunt, quia exhalationes, quibus odor innitur, abeunt, ut in aqua rosarii, et alijs huiusmodi quissiam uidere poterit. Confectioes autem odoratae, quae glutinosae sunt, odorem quidem remittunt, sed penitus non amittunt: si uero diu tractentur, & detecta seruentur, ac exsiccentur, odorem amittunt, ut in Zibetto, ac Moscho, quae maxime re dolent, experientia ostendit. Optime igitur ab Aristotele libro de sensu & sensu cap. 4. dictum est, odorem esse fumosam exhalationem, id est, fumose inniti exhalationi. Quod & ante Arist. censet Plato: quippe qui ad finem secundi Alcibiadis odorem in uaporosa re fundari innuit, ubi Socrates de Homero loquens, ita dicit, Troianos cum suburba

num

nam edificium molirentur, dicere Dijs immortalibus pretiosa sacrificia, bonum nidorem uero, ex littore sua uentem ad caelum usque, uentis extolli, quod indicium est odorem esse in uaporibus, & fumo. Id autem fortassis Plato ex Homero accepit, qui de sacrificio agens, in hunc modum cecinit.

Iliados a  
uersu. 373

In caelum nidor fumo reuolutus abibat.  
Auicenna etiam in hanc sententiam deuenit: lib. de uiribus cordis, sect. 1. cap. 9. Quia propter ex dictis peruium omnibus sit, accidens semper in subiecto esse: unde Aristoteles cap. 4. lib. 1. top. inest autem rei, dixit.

ERROR DECIMVS  
NONVS.

Locus Aristotelis emendatus in lib. 8. top. qui cum ualde corruptus esset in omnibus libris, tanquam ansam dedit interpretibus peccandi.



Mnes Aristotelis interpretes lib. 8. top. cap. 3. in principio, ita quaedam Aristotelis uerba interpretatur: Est autem interrogantis quidem sic deducere orationem, ut faciat respondentem dicere inopinabilia,

libra,



liora, quàm ea, quæ propter positionem sunt necessaria. Ego hanc literam ita legens, quærebam quid Aristoteles per ea quæ sunt inopinabilia, quàm ea, quæ propter positionem sunt necessaria, intelligeret. Consuluiq; complures interpretes, & utriusq; linguæ peritos, atque id quæsum mihi uidebantur, quandoquidem nihil quod Aristotelis sensa hauriret, scripsere. Vnde non mediocris mihi admiratio fuit, quòd tot doctissimos uiros hac nota esse signandos comprehenderem. Tandem ueritatem ipsam inueni, beneficio Græci exemplaris, quòd alio modo legit, quàm interpretes uerterunt. Sic enim legendum est: est autem interrogantis quidem sic deducere argumentationem, ut faciat respondentem dicere inopinabilia ex ijs, quæ propter positionem sunt necessaria. Nunc quid Aristoteles uelit, clarum est. Quare si quisquam hanc, quam nunc damus expositionem cum prioribus contulerit, multum secus, quàm antea sensum uerborum Aristotelis percipiet.

ERROR.

## ERROR VICESIMVS.

Disputatur accuratè de integritate descriptionis accidentis: atque longè aliter explicatur, quàm fecerint interpretes.



Quoniam accidens remotissimum est à rei natura, propterea à naturæ ordine postremò ab Aristotele cap. 4. lib. 1. topico. & à Porphyrio in quinq; uocum introductione, explicatum est. Quòd si uerò Aristoteli quisquam obtrudat eundem Aristotele, qui lib. 1. de natura anim. cap. 6. inquit, accidentia priori loco esse tractanda: idq; facientes naturæ congruentissimum ordinem obseruabunt. Respondeo quidem ueram esse accidentia prius esse tractanda: idq; in ordine docèdi historico ac experimèntis cõcumato: quæ Arist. in libris illis obseruans, animalium historiam enarrans, ab illis exorsus est. Longè uerò diuersum est, in ordine progrediendæ scientifico, qualè Arist. in top. docet: proinde in postremo loco accidēs ipsam cõstituit. Et id est, quod Arist. cap. 1. lib. 1. de part. ani. cõmèdabat: in omni, dicens, uia nobiliori, siue ignobiliori: ubi per illam scientiã, per hanc uerò experimentalē intellexit. Est autè secunda Arist. accidentis ista descriptio.

Acci=

Accidens est quod & inest rei & abest ab ea sine ipsius rei cui inest interitu. Cuius sanè partes, ut inquit Porphyrius, due sunt: una, eorum quæ separari nequeunt: & altera, eorum quæ facile à re ipsa diuelluntur: hanc re & cognitione, illà cognitione solum dimoueri posse, inquit Porphyrius. Sed instabit fortassis quispiam dicens: fateor quidem duplex genus accidentis esse: unum, quod cognitione solum ut nigredo à coruo: & alterum, quod re & cogitatione separari potest: ut sedere, & ambulare: tamè effugere haud poteris, quin dicas proprio idem competere: cū sua natura abesse possit, si minus re, at certè cogitatione. Quod in hūc modum probari potest. Primum, quod prius est: intelligi optimè sine posteriori potest: atque species prior est proprio cuius est species: intelligetur igitur species sine proprio. cum autè homo sit species, & risus capax, proprium: unum sine altero cognoscetur. Propositio, mea probatione non indiget, quippè quæ omnibus nota sit. Assumptionem probat Aristoteles cap. 1. lib. 7. primæ phi. ubi substantiam esse accidentibus priorem, & cognitione, inquit. Non est igitur dubium nos hominem si ne risibili posse intelligere: quo fit, ut risibile ab homine intellectu separaretur. Deinde res unius ca-

tego=

tegoriæ, absq; re alterius intelligi ac cognosci potest: sed homo est categoriæ substantiæ, & risibile categoriæ qualitatis: homo igitur sine risibile cognoscetur. Propositionem probat Aristoteles ca. 11. & 18. lib. 1. de demonstratione: ubi categorias non posse permisceri, inquit. Assumptio, luce clarior est: conclusio igitur ueræ: id enim uerum est, quod ex sumptiōibus ueris colligitur. Sūt qui huic obiectioni respondeant, in hac re proprium & accidens distingui, quod proprium simplici intellectu, accidens autem composito separari possit. Quod falsum esse, hinc unusquisq; cognoscat. Quemadmodum enim in accidentibus compositio illa intellectus falsa est, coruum nō esse nigrum, aut coruum esse album: ita falsa erit in animo coniunctio, hominem non esse risibilem. Nec uerò id uoluit Aristoteles ac Porphyrius, cum intelligitur coruus albus, ueram esse illam compositionem, sed id uoluit, etiam si ita componeres, non tolli tum essentialiam corui: quum ob id coruus non est, quod aut albus, aut niger sit: sic etiam si animo id concipias, hominem non esse risibilem: quanquam falsa sit illa compositio: non tamen ex eo hominis tollitur essentialitas, quod non risibile intelligatur. Si igitur tam ista sit compositio intellectus, homo non est risibi-

lis, quàm illa, coruus non est niger: necessariò efficitur, non minus cõposito intellectu separari propria, quàm accidentia. Definitio igitur accidentis proprio conuenire, negari non potest: quoniam proprium non minus cogitatione separari potest, quàm accidens. Addenda est ergo aliqua pars descriptioni accidentis, ut à proprio accidēs distinguatur: ut dicamus, accidēs esse, quod adest, & abest citra subiecti interitū, nec recipitur. Hæc deniq; est integra & perfecta accidentis descriptio. Neq; est, quòd aliquis iterū nobis obstrepet, descriptionem accidentis non bonā esse, contendēs: cum mors, combustio, & alia accidentia sint quæ propter interitū subiecti non uidentur posse abesse. Nā si rectè intelligeret, quid est illud posse abesse citra subiecti interitū, non dubitaret, quin definitio hæc accidentis, tã his conueniret, quàm quibuslibet alijs. Est igitur posse abesse citra rei interitum, ita re aut cogitatione à subiecto separari, ut ipsius rei subiectæ essentia, sine his accidentibus intelligatur, id necessariò efficitur non minus ista citra subiecti interitum separari posse, quàm quæuis alia. Nomine autē subiecti, ut multos errores euitemus, intelligendā sunt ipsa indiuidua, quibus præcipuè accidentia insunt: secus autē in proprijs

sit

fit: etenim risibile prius inest homini, deinde singulis hominibus: cõtra albu, prius singulis, quàm uni uersis cõpetit. Et id est, quod dicebat Porphyr. ca. 6. in hanc sententiā: propriū uerò de specie, cuius est propriū, & de ijs, quæ sub specie sunt indiuiduis: ut risibile de homine, & de ijs, qui sunt partikulares homines: nigrum autē & de specie coruorū: & de ijs, qui sunt particulares, quod est accidēs inseparabile: & moueri de homine, & de equo, quod est accidēs separabile: sed principaliter quidē de indiuiduis, secūdo uerò loco de ijs, quæ cõtinent indiuidua. Dixit Porphyr. præcipuè accidentia de singulis dicit: ut doceret propria speciebus prius cõpetere. Cuius ratio hæc est. Cum enim proprietates ex essentia ipsius speciei proficiscatur, necessariò efficitur, ut prius ipsis speciebus seu formis, à quarū essentia proficiscuntur, attribuantur: dein, indiuiduis, quatenus sub illis cõtinentur: accidentia tamen quia ex tẽperie uniuscuiusq; indiuidui scaturiūt, primò ipsis indiuiduis attribuiūt, ex quorū tẽperatura oriūtur: hinc speciebus eatenus attribuiūt, quatenus illa indiuidua cõprehendunt. Possent etiam multa alia aptissimè ad hoc negotium adducere: sed hæc mihi uisa sunt sufficere, ad accidentis definitionem intelligendam: circa quam

P 2 non

non parum nostri tēporis Dialectici hallucinātur.

## ERROR VICESIMVS.

primus.

Num disciplina susceptiuum sit proprium, an  
differentia, ostenditur. Item sublatum men-  
dum ex lib. 4. top.



Cio equidem multis impeditam hanc  
uideri quæstionem propter duos lo-  
cos, unum Aristotelis, alterum Por-  
phyrj, qui pugnare uidentur: quoru  
locus Aristotelis est, cap. 6. lib. 1. topico. ubi inquit,  
discipline susceptiuum propriu esse: at Porphy-  
rij, est capite de differentia. asserentis esse differen-  
tiam. quo lubentius quid de ea sentiam, explica-  
bo. Ut igitur quid uterq; uelit, intelligamus: uiden-  
dum est, quid de susceptione scientiarum ipsi rati  
sint. Porphyrius Platonice fuit: Plato autem dis-  
ciplinas recordationes, & discere reminisci esse,  
in Theæteto, Menone, & Phædone ostendit: idcir-  
co nos à natura scientias insitas habere dicebat:  
unde discipline susceptiuum, necessariò efficitur,  
ut differentia sit: quippe quòd secundum Platonē  
nullam

ullam aptitudinem, sed actum tantum dicit. Cete-  
rum quanto melius Aristoteles, quanto sapientius,  
qui hoc quasi fundamento ubiq; nititur: nostram  
nimirum animam nudam esse: quæq; apta sit ad  
omnia intelligibilia percipienda, antea onniu ex-  
pers: hinc nobis quandam promptitudinē ad scien-  
dum semper donat: quo fit, ut discipline susceptiu-  
uum ex Aristotelis sententia propriu sit. Hæc alio  
loco latius disputabuntur: ut omnes uideant, quan-  
tò cautius, quantoq; sapientius hæc quoq; in par-  
te Aristoteles ipso Platone philosophetur. Sed iã,  
dicit quispiam, sibi ipsi Aristoteles non consona di-  
cit: propterea quòd ipse & discipline susceptiuu,  
& risibile, & alia, homini tribuit, ueluti propria.  
Et lib. 5. top. cap. 4. inquit, eiusdē rei non posse esse  
plura propria. Dico literā Boëtij castigandā esse,  
quæ ita legit, sicut diximus, quū Aristoteles dicat:  
impossibile enim est idē esse pluriu propriu: unde  
nulla in dictis Aristotelis controuersia reperitur.

## ERROR VICESIMVS

secundus.

Gravis disputatio de differentijs substantialis-  
bus: an secundum Aristotelem in categoriis  
substantiæ, siue qualitatis, locum habeant.

P 3 Ari-



Ristoteles cap. 3. lib. 6. top. inquit, ad eandem categoriam pertinere differentiam, & genus illius differentie. Verba eius hæc sunt: Et si alicuius eorum quæ sunt ad aliquid, non ad aliud quid differentiam assignauit. Nam eorū quæ sunt ad aliquid, & differentie aliquid. Scio aliquos non excitasse hanc questionem de loco differentiarum substantialium, si hunc locum Aristotelis uidissent. Nam quid clarius dici potest, ego nō uideo. Verū quia res dubia est, & in utraq; partē sunt cōplurima argumenta, idcirco quid de hac re senserint ueteres logici, paucis explicabo. Ac quidem simplicius in ea est sententia, ut differentie nec substantie nec qualitates sint, sed medium aliquid inter utrunq;. Aliorum sententiā est, ut Ammonij differentias esse substantias nō illas quidē cōpositas (de quibus tantū Arist. agere ipse Ammonius asserit) sed simplices. Est & alia de differentijs sententia, differentias esse qualitates, & ad categoriā qualitatis spectare, ponitq; in quadā ipsius qualitatis specie innominata: unde differentias, nec substantias, nec accidentia appellat: & perinde diuisionē entis in substantiā & accidens imperfectam inquit esse, propterea quod alia pars deficiat, nimirū substantialis qualitas,

itas, quæ neq; substantia, neq; accidens est. Atque cū sententia hæc & Arist. testimonijs & rationibus euidentibus probari possit, non grauabimur, si aliquatū in ueri inquisitione detineamur. Primus locus Aristotelis est, cap. 6. lib. 4. top. ubi inquit, & quonia differentia quidem qualitate generis semper significat, genus autē differentie non. Qui locus perspicue ostendit differentiam qualitatem esse. Alius locus habetur lib. 5. phy. ca. 2. qui sic se habet: is igitur motus, qui in qualitate est, alteratio: hoc enim commune nomen positum est. Atque qualitatem non eam dico, quæ in substantia est, (est enim & differentia qualitas) sed eam, quæ est passiva, quæ quippiam pati dicitur, aut impassibile esse. Cur enim Aristoteles postquam dixerat alterationem esse in categoria qualitatis substantialis, les qualitates reijciat, nisi in illa categoria essent? Tertius locus reperitur apud eundem Aristotelem cap. 14. lib. 5. primæ phi. ubi hanc dicit esse primam ac præcipuam significationē qualitatis, ut differentias significet, quibus inter se substantie distinguuntur: & ad finē illius capituli alias significationes qualitatis dicit tantūmodo ex similitudine primæ significationes appellatas esse. Quartus locus in eodē Aristotele inuenietur, ca. 10. li. 11

lib. 10.

P 4

primæ

prime phi. quo in loco, postquā alterationem in categoria qualitatis constituit, reiecit differentias substantiales: quod non faceret, nisi in illa categoria essent. Quintus locus est cap. 28. lib. 5. prime phi. ubi inquit, differentias qualitatis esse generis. His autem locis non leuē suffragantur rationes, quibus probetur, differentias in categoria qualitatis esse. Prima est: Si differentia est qualitas, ita ut proprie dicatur nomē qualitatis de differentiā illud rogo, cum ita dixeris, differentia est qualitas, an illa attributio sit generis, an differentie, an proprii, an accidentis, an speciei: hic nil responderi potest, nisi eam esse generis attributionem, ex quo efficitur qualitatem esse genus differentie, nec uero medium genus est. summum igitur: quare differentia continebitur sub qualitate, ut sub genere summo. Alia ratio in hunc modum disponitur: Nulla differentia potest esse species eius generis, cuius est differentia, ut optime scripsit Aristot. ca. 2. lib. 4. topicorum. atqui si differentia est substantia simplex, necessario illud efficitur, ut idem sit species, & differentia eiusdem generis: nam differentia illa, qua substantia simplex à composita distinguitur, species substantie est, & differentia diuidens. Præterea Aristot. cap. 3. lib. 3. prime phi.

xviii

4 9

ob id

ob id probat ens non posse esse genus, quoniam si differentias haberet, necesse esset illas differentias entia esse: utq; ita genus de differentia dici: atqui illud incommodum in substantia accidit, nam substantia simplex est substantia, cum ergo differentia sit substantia simplex, erit substantia, quare dicetur substantia de sua differentia. Quarta ratio: Si Aristoteles capite de substantia negat propriū esse substantia in subiecto non esse, quoniam differentis competit: qui fieri potest, ut differentia sit substantia? Quinta ratio. In categorijs unumquodque collocatur secundum suam significationem præcipuam, sed præcipua differentie significatio, nulla alia uidetur, quàm qualitas, in qualitate ergo ponitur: Nam si proinde differentia in substantia constituitur, propterea quod significet qualitatem in substantia, ita & calidum collocatur in substantia, quod significet calorem in substantia. Vltima ratio. Si differentie significatio non sit, ut proprie ac per se qualitatem significet: quid, quæso, erit discriminis inter secundas substantias ac differentias, in eo quod Aristoteles dicit se eundas substantias quale quid significare: neque enim secundæ substantie dicuntur alia ratione significare quale quid, nisi ratione differentiarum,

P 5

quem

quem admodum etiam testatur Porphyrius cap. ultimo, hominem scilicet significare quale quid ratione differentiarum: si igitur non magis per se qualitatem significet differentia, quam secunde substantie, quo pacto hoc habebunt a differentiis secundae substantie, ut quale quid significet. Haec sunt rationes, & Aristotelis loci, quibus probari potest, differentias in categoriae qualitatis esse. Sed et nunc, quoniam ut res inuicem discerni possit, & facilius intelligi, meam sententiam & ueram declarare incipiam, hac praelibata conclusione. Differentiae ponuntur in eadem categoria, in qua & genera, quae diuidunt, & species, quae constituunt, ponuntur. Pro cuius uerborum interpretatione hinc exordium sumo. Nomen qualitatis inuentum fuit a Platone, ut Socrates apud eundem in Theaeteto recenset: unde Aristoteles eam capite de qualitate sic definit: Qualitatem autem dico secundum quam quales esse dicimur. Quae descriptio nullo pacto potest differentiis substantialibus competere, idcirco in qualitate non constituuntur. Quod iam ijs rationibus efficacissimis probo. Omne quod est, aut est substantia aut accidens, teste Aristotele cap. 7. lib. 1. primae philosophiae, si igitur differentia non est substantia, accidens erit. Primum, prae-ter

praeter id quod Aristoteles illud dicat, hac ratione confirmari potest. Inter esse in subiecto, & non esse in subiecto nullum datur medium: igitur neque inter substantiam & accidens. ut pars substantiae substantia est, differentia est pars substantiae, substantia igitur est. Propositio uera est ex Aristotele capite sexto. lib. 1. phys. ubi inquit, substantiam ex substantiis componi. Assumptio non indiget probatione, ergo & primum uerum. Praeter ea, forma, Aristotele teste, est substantia, differentia autem est forma, differentia igitur est substantia. Ad haec Arist. cap. 3. lib. 1. phys. aduersus Parmenidem, & Melissum probat non posse omnia esse unum, ita ut illud unum significet substantiam. Nam, inquit, si homo substantia est, & animal igitur & bipes substantiae sunt, quare etiam posita una substantia, multae ponuntur, nec necesse est omnia esse unum. Insuper, si differentiae substantiales essent qualitates, ac in categoriae qualitatis ponerentur, id fieret, quod in aliqua specie qualitatis, aut saltem eisdem proprio ipsius qualitatis competeret: neutrum autem fit; non sunt igitur in qualitate. Assumptio clara est: si enim discurras per singulas qualitatis species, nullum locum ipsis differentiis accommodabis: neque

lib. 7. meta.  
cap. 13

neq; similes aut dissimiles dicuntur: id enim esset  
 contra Aristotelem cap. de substantia. ubi neq; in-  
 tensionem, nec remissionem suscipere differentias,  
 asserit: deinde, fieret, ut ex diuersis speciebus unum  
 quidpiã oriretur, & id fortius est, quòd neq; po-  
 nuntur sub eodem genere: quòd reluctatur dictis  
 ab Aristotele capite ultimo lib. 3. de gen. anim. et  
 à Porphyrio capite ultimo suæ introductionis. Fie-  
 ret etiã, quòd res unius categoriæ uerè ac essentia  
 licet de re alterius diceretur, aduersus Aristotelem  
 cap. 11. & 18. lib. 1. de demonstratione. Sed quid  
 mulis moror? præceptum catholicum & uerissi-  
 mum Aristotelis est cap. 3. lib. 6. topi. differentias  
 poni in eadem categoriã, ubi & species composi-  
 te ab illa differentia, & genera ab eadem diuisa  
 locum habent. Quapropter dicendum est differen-  
 tiam substantiæ esse substantiam, non tamen è di-  
 recto generi summo subijci: licet hoc uideatur uel  
 le Aristoteles cap. 28. lib. 1. de priori resolutione,  
 sed obliquè duntaxat, & ut aiunt, ad latius: neque  
 quando dicimus differentiam esse substantiam, uo-  
 lumus differentiam esse substantiæ speciem, sed  
 partem ipsius substantiæ: propterea quòd species  
 substantiæ ex actu & potentia debent componi, ut  
 auctor est Aristoteles cap. 3. lib. 12. primæ philoso-  
 phiæ

phiæ. Id etiã considerandum est, nomen qualita-  
 tis de substantia, & accidenti dici, ut Aristoteles  
 locis in retrodictis dozebat, unde & qualitas du-  
 plex erit: una substantialis, & altera accidentalis.  
 Non igitur negamus differentias esse qualitates  
 substantiales, sed accidentales, & ad categoriam  
 qualitatis attingere: quippe quæ in substantia locum  
 habeant, quemadmodum & differentie aliarum  
 categoriarum in ipsam categoriam ponuntur, ubi  
 species & genera illarum differentiarum cõstitui-  
 untur. Cum igitur hæc sententia longè ceteris ue-  
 rior sit, restat testimonijs, ac rationibus superio-  
 ris sententiæ satisfacere, ut nostra hæc facilius  
 euadat. Primum nos non negamus differentias  
 qualitates esse: quemadmodum loci citati ostende-  
 bant: sed poni in qualitatis categoriã. Neq; uelim  
 mihi Aristotelem obijcias, qui ca. 14. lib. 5. primæ  
 phi. differentias in categoriã qualitatis collocauit:  
 quoniam in categoriã primæ philosophiæ multa  
 continentur, quæ talia non sunt. Namq; cap. de sub-  
 stantia. multis modis capi substantiam docet: &  
 tandem essentias accidentium substantias appella-  
 lat, quòd falsum est, si natura ipsius rei intimius  
 consideretur. Idq; etiã fecit cap. 3. & 13. lib. 7.  
 Item de cap. de quantitate motuum dixit esse quan-  
 titatem,



titatem, quem in logico organo non posuit, et alia huiusmodi. Quare non est firmum argumentum: id est in qualitate, aut alia categoria in prima philosophia: in logico ergo organo erit. Fatemur tamen differentias esse primas omnium qualitates, siquidem omnium sunt prestantissime: quod enim substantiale est, prestantius uidetur accidentali, at differentie sunt huiusmodi, prestantiores igitur. Eodem modo respondendum est ad locum Aristotelis. 5. phy. & 11. primæ phil. Cum enim docuisset, motum secundum alterationem esse qualitatem, & non raro dixerit differentiam esse qualitatem: ne ambiguitas in uerbo, qualitas, esset que omnem disputationem ita perturbat, ut tandem in uarias & incertas sententias distraherentur animi, adiecit differentiam esse qualitatem in substantia, ut rejiceret qualitatem, que in categoria qualitatis est. Præterea, quod inquit. 4. topicorum. & quinto primæ philos. differentiam nimirum generis qualitatem significare, nostram sententiam confirmat: cum generis qualitatem significare differentias iterum ac iterum dixerimus. Ad rationes iam diluendas styllum conuertamus nostrum. Primæ ita occurrendam est. Illa attributio, differentia est qualitas, non est alicuius uocis attri-

attributio, si eam uniuersim accipias, quoniã multiplex est: id autem quod multiplex est, ad nullam certum genus referri debet. Qualitas enim multipliciter de accidentis, & substantiæ differentia dicitur. Quod si, differentia est qualitas substantialis, dicas, attributio erit proprii: hoc namq; ipsi differentiæ proprium est, quod sit qualitas substantialis. Itaq; hoc modo ratio que contra nos facere uidebatur, diluitur: ac simul, quid sibi Aristoteles uelit, non obscure, sed clarè demonstratur. Omnes enim qui aliter sententiam improbant, eique suam anteponi censent, hæc duo efficere debent: unum, ut alienam sententiam firmissimis rationibus refellant: alterum, ut ipsi meliora, & commodiora asserere uideantur. Secundum iam nos præstitimus, differentias substantiæ in substantia constituentes: quo nihil melius, nihil commodius hac in re dici potest. Primum nunc profitemur, rationes contrarias refellentes, idq; non friuolis, non falsis, sed firmis ac ueris repulsis. Refutamus igitur sequentem rationem. Nos non dicimus differentiam esse speciem aut genus categoriæ substantiæ, sed partem substantiæ, ad quam reuocatur: ut pars ad totum suum redigi solet. Hinc & tertia ratio diluitur. Respondemus quartæ rationi

rationi Aristoteles negat proprium esse substantiæ in subiecto non esse: quoniam de substantiâ perfectâ & omnibus suis numeris absoluta, loquitur. Quinta ratio nullius est momēti, propter eâ quod differentia secundum præcipuam significationē, nempe qualitatem essentialē, ad categoriâ substantiæ reuocatur. Quod deniq; ultima ratio asserbat, secundas substantias qualitātē significare propter differentias, falsum est: id enim habent propter uniuersam earū uim: ut Aristoteles in uerbis categoriæ substantiæ ostēdit. Quapropter credendū est, differentias substantiæ ad substantiā reuocandas esse, ut satis superq; demonstratum est.

## ERROR VICESIMVS

tertius.

Queritur quid ualeat in acceptionibus, eiusdem, & diuersi, idem numero, & diuersum numero: aliq; etiam disputantur, aduersus nostri temporis logicos.



Aristoteles cap. 9. lib. 5. primæ philo. inquit, differentia & diuersa inter se distinguit: quod ea differentia appellantur, quæ cum habeant commune ali-

quod,

quod alia quadā in re distinguuntur: diuersa uerò ea, quæ etiam si nihil omnino cōmune habeant, inter se distinguuntur: quo fit, ut summa genera diuersa quidem appellari possint, differentia nunquam. Ceterum ea quæ differre dicuntur, aut genere, aut specie, aut numero differunt: ut testis locupletissimus Aristoteles est, lib. 5. primæ phi. cap. 9. Et capite sexto lib. 1. topic. Et cap. 1. lib. 7. topicorum. Ac genere quidem differunt ea, quæ diuersis generibus continentur, quorum ita dissociata est natura, ut toto genere inter se distinguantur, quæalia sunt lapis, & homo. Specie autem diuersa sunt, quæ aut diuersæ sunt eiusdem generis species, aut sub diuersis formis comprehensæ: ut homo & equus: hic homo, & hic equus. Numero autem diuersa sunt (inquiunt omnes) quorum tanta est natura & societas, ut in eo tantum discrimen reperiamus, quod dum numerantur, diuersus unitates cōstituunt. Hoc & si defendi possit, non est tamen mens Aristotelis, ac Porphyrij capite de specie: 3. metaphy. cap. 3 solū enim ea dicunt & uolunt numero differre, quæ proprietatibus differunt: proprietatibus, in quā, non uniuersalibus, quæ speciei competunt, sed singularibus, quæ duntaxat singulis conueniunt. Huc respiciens Porphyrius ad finem capitis de

Q specie

specie, inquit: Individua appellantur, quod unum= quodq; ex proprietatibus cōstet, quæ omnes in alio reperiri non possunt. Et subiunxit: quæ enim in Soerate sunt, in alio, eadem esse nullo modo possunt. Id autem quid est? singula individua quandã proprietatem habere, quæ in alio reperiri nequeunt. Quæ tandem est illa proprietat? Nihil sane aliud, quã id, quod Saty. 5. in huc modũ scripsit Persius.

Mille hominum species, & rerum discolor usus,  
Velle suam cuiq; est, nec uoto uiuitur uno.

Et Ouidius li. 1. de arte clarius id ipsum expressit.

Pecioribus mores tot sunt, quot in orbe figuræ.  
Qui sapit, innumeris moribus aptus erit.

Itẽ Horatius li. 2. epist. idẽ in hunc modũ cecinit:

Deniq; non omnes eadem mirantur, amantiq;  
Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis,  
Ille bioncis sermonibus & sale nigro.  
Tres mihi coniuue propè dissentire uidentur,  
Pescenticis uario mulum diuersa palato.

At Propertius idem his uerbis lib. 3. declarare uideatur.

Hic satus ad pacẽ, hic Castrensibus utilis armis,  
Naturæ sequitur semina quisq; suæ.

Item Virgilius Eglo. 2.

Trahit sua quæq; uoluptas.

Item

Item Terentius in Phormione.

Quot homines, tot sententiæ: suus cuiq; mos.  
Nũquam enim duo homines uisi sunt, qui omnino easdem conditiones haberent: & id est, homo dicitur de pluribus differentibus numero, id est, proprietate, & conditione quadam singulari. Quem admodum enim aptitudo ad ridendum profluit ex hominis essentia: ita quæuis hominis conditio, ex essentia ipsius individui profluit ac dimanat: unde si illa hominis est affectio, hæc cur non individui erit? Hinc etiam est, quod Aristoteles singularem, unum numero, capite de substantia, appellet; hoc est, unum proprietate quadam singulari, quæ alijs minimè accommodari potest. Vnum namque non numerus est, sed numeri principium. Neque cur amicus multum hic uerborum Valle, qui libro primo suæ dialecticæ capite secundo satis infanti liter, ne dicam mulierculæ, in Arist. inuehitur. Itaq; definitio speciei apud Porphyrium sic intelligenda est: Species (ait) est, quod de multis quidem, sed numero tantum differentibus, in quæstione quid est, dicitur. hoc est, species est, quod de multis proprietate quadam differentibus, in quæstione quid est, affirmatur: ut homo species est, & dicitur de Soerate, & Platone, qui proprietate differunt: &

Q 2 quæ

quæ in uno est, altero non reperitur. Item cap. 6. lib. 5. primæ phi. inquit Aristoteles, una dici numero, quorum materia una est: non loquitur Aristoteles de materia prima, sed secunda: ergo ea diuersa erunt numero, quæ materia secunda differunt: at singula indiuidua differunt illa materia, quæ materia materia, ex qua affectiones singulares proficiscuntur. Neque mihi obijcias, aliquos fuisse homines, ad eò inter se affectos, ut unum ab altero distingui, non potuerint. Quemadmodum Vibium ingenuum, & Publicium libertinum Pompeio Magno ita similes fuisse legimus: ut permutato statu, & Pompeius in illis, & illi in Pompeio salutari possent. Item Antiochum regem, similem Artenioni fuisse, Valerius Maximus. lib. 9. cap. 15. & Plin. lib. 7. ca. 12. aiunt, ad eò, quòd Laodice uxor Antiochi, interfecto uiro, dissimulandi sceleris gratia in lectulo perinde quasi ipsum Regem ægrum collocauit, admissumq; uniuersum populum & sermone eius, & uultu consimili fefellit: credideruntq; homines ab Antiocho moriente, Laodicæ, & natos eius sibi commendari. Alia etiam similitudinè exempla idè autores adducunt: ad quos studiosum lectorem ablegamus. Illi igitur homines nõ differunt proprietate, propterea quòd eandè similitudi

litudinem habeant. Id uerum esse faterer, si in alijs essent similes, & idem nolle, ac uelle haberent. Quod optimè perpendens Porphyrius, dixit, omnes proprietates unius in altero reperiri non posse. Verum id mihi inquisitione dignum maxime uidetur: num singularia ipsa, quæ sub eadem specie sunt, illis accidentibus ac consecutionibus solum differant, an etiam secundum essentiam dicamus eadem differre. Porphyrius sanè uidetur sentire, indiuidua solum accidentibus differre: talia enim esse indiuidua existimat, quæ ex proprietatibus consistunt: in alio minimè repertis. Ego tamen existimo singularia ipsa non tantum accidentibus, uerum etiam essentijs differre: non quidem seipsis, ut genera summa differunt, sed per quasdam singulares differentias, quæ unumquodque indiuiduum contrahunt, ut per eas ab alijs eiusdem speciei indiuiduis possint differre. In homine enim, ut omnia exemplis collustremus, perpendis, essentiam, scilicet animam rationis capacitatem, ex quorum miscella eius affectiones scaturire credis: ita profecto in singulis indiuiduis considerare debes: quæ, ut diximus, proprietates singulares habent, quibus differunt: & necessario efficitur, ut ex aliqua essentia oriuntur. Non ex

Q 3 anima

animā rationis capaci: sic utiq; omnes eadem tem-  
peratura fruemur: idē uelle, ac nolle omnes ha-  
beremus. Restat igitur aliam essentiam magis par-  
ticularem constituere, ex qua affectiones singula-  
res oriri credamus. neq; statim inferas, me in ho-  
mine hanc duas essentias diuersas cōstituere aduer-  
sum Arist. qui cap. 3. lib. 6. top. inquit: Nam uni-  
cuiq; eorum quæ sunt, unum est esse id ipsum quod  
est. Quod Aristoteles asserit, ego sanē non uego:  
ipse nanque unam communem essentiam singulis  
rebus tribuit. Sed quid prohibet, quominus mem-  
bra ac partes sigillatim suas quoque particula-  
res essentias habeant, quibus inter se distinguan-  
tur? Hanc ego essentiam communem, scilicet ani-  
miam rationis capacem, creatam à Deo ad beati-  
tudinem, in homine concedo: hæc competit unicui  
que indiuiduo, quatenus homo est. At quid obstat,  
cur ea ratione, qua indiuidua sunt, aliam essen-  
tiam habeant, corruptioni obnoxiam? Hinc homo  
per illam communem, quæ perpetua est, definiri  
potest, per hanc uerò minime, quippe quæ corpo-  
re perempto, ipsa quoq; pereat. Neq; insuper obij-  
cias, ex superioribus colligi, speciem totam indiui-  
duorum essentiam non indicare: aut indiuidua esse  
species, ut ille omnium nugator Ramus. asseruit.

Nam

Nam primum non sequitur, quoniam species, ex-  
empli gratia, homo omnium singularium essentia  
communem indicat, de quibus dicitur: ut antea di-  
ximus. Secundū minime etiā fieret: propterea quòd  
nō sat est, ut aliquid species dicatur, quòd contra-  
hatur per aliquas sine ullo discrimine differentiis:  
sed per differentias cōmunes, quæ in indiuiduis nō  
reperiuntur. Concludamus igitur unumquodque  
indiuiduum suam differentiam habere, qua unum  
ab altero seiungitur. Atq; Porphyrio responde-  
mus: ipsum ita uoluisse: aut quòd non negauit indi-  
uidua suis differentiis differre: sed posuit pro-  
prietates, quæ nobis erant clariore: & reli-  
quit differentias, ueluti rem difficiliorem, atqui  
ad introductionem minime attinentem. Hæste-  
nus quibus modis differens, dicatur, docuimus: nūc  
quibus, idem, dicatur insinuemus. Idem quoque tri-  
bus modis solet dici, genere, specie, ac numero.  
Atque id rursus quatuor sit modis, nomine, de-  
finitione, proprio, & accidenti. Sed cum horum  
plena sint omnia, nos eis missis, ad quoddam  
Aristotelis præceptum, pergamus. Quæcunque  
summæ generibus differunt, genere differunt: &  
quæ genere, etiam & specie: & quæ specie, singu-  
latim differunt. Contrā, quæcunque singula sunt

Q 4

eadem

eadem, hoc est, quæ numero una dicuntur, etiam specie sunt eadem: & quæ specie, ea genere: & quæ genere, genere summo quoque sunt eadem. Breuius id docco, à superiori ad inferius in diuerso fida est argumentatio: in eodem uerò ab inferiori ad superius, constans quoque argumentatio est. Hoc concludendi genus docet Aristoteles sub finem ca. 6. lib. 5. primæ phi.

ERROR VICESIMVS.  
quartus.

Disputatur accuratè, an uerba singularia nominis uniuersalibus determinentur: & alia etiam pronunciantur, contra Logicorum recentium placita.

**S**ingularia nullam determinationem suscipere Aristoteles scripsum reliquit cap. nono, lib. 5. primæ phi. Cuius hæc sunt uerba: Socrates enim non de multis. Quare non dicitur omnis Socrates, sicuti omnis homo. Non solum Aristoteles in ijs uerbis indicat singularia nullam omnino determinationem capere: sed etiam ratione ostendit, propterea quòd

quòd singularia de pluribus non affirmantur. Neque enim dicitur omnis Socrates, uel aliquis Socrates, ut omnis homo, & aliquis homo, quoniam homo est uniuersale, & uniuersalia determinationis sunt capacia. Hinc intelligetur Aristoteles cap. 35. lib. 1. de priori resolutione, qui inquit: non parum discriminis esse si dicatur, Cogitatione comprehensibilis Aristomenes, & omnis cogitatione comprehensibilis Aristomenes: nam illud speciem, quæ eterna est, at omnis cogitatione comprehensibilis Aristomenes, singulos Aristomenes qui quidem caduci sunt, eò quòd corpora sint, declarat. Idem quoque fit, si dicamus, album est color, & omne album color est: nam alterum ab altero diuersum est. Quoniam qui ait, album est color, albi speciem, hoc est, colorem, quo uisio nostra dispergitur, explanat, ac uera fatetur: qui uerò omne album colorem inquit esse, mentitur: significat enim corpora quæ candorem habent, quæ sanè non colores, sed substantiæ sunt. Quapropter nulla propositio erit uera, quæ uerba singularia determinationibus assignata habet. Idcirco nihil hoc syllogismo concludi Arist. existimat. Omnis Aristomenes cogitatione comprehensibilis semper est, Aristomenes est Aristomenes cogitatione comprehensibilis.

hensibilis, Aristomenes igitur semper est. Quoniã  
 uniuersalis illa propositio falsa est: at syllogismus  
 constans & firmus erit, si ablata determinatione,  
 dicas: Aristomenes intelligibilis semper est: ob ra-  
 tionem, quam supra indicauimus. Singularia igi-  
 tur nullam determinationem habebunt, quin pro-  
 positio falsa reddatur. Videtur tamen Aristoteles  
 sibi non consona dicere, qui capite nono libri pri-  
 mi de cœlo, omnem mundum ex tota materia cõ-  
 stare dicit: at mundus in pluribus non est. ut capi-  
 te octauo idem probauerat. Respondeo sibi & ra-  
 tioni Aristotelem constare: quoniam indiuidua,  
 quibus natura speciei seruatur, ut sol, luna, mun-  
 dus, & alia huiusmodi, notas uniuersas elegantissi-  
 me possunt habere: proin, omnis sol, omnis mun-  
 dus, cur non dicemus? Etenim solis definitio, ut  
 huic competit, alijs etiam competeret, si essent,  
 quemadmodum Aristoteles libro septimo primæ  
 philosoph. capite decimoquinto. & lib. 12. eiusdem  
 nominis capite octauo docet. Sed cur non sunt  
 plura singularia, solis, lune, mundi, & aliorum?  
 quoniam omnia id genus ex omni materia illius  
 formæ, cuius nomen habent, constant: ideo nullam  
 prætermiserunt, ex qua alia indiuidua possent fie-  
 ri. Hinc est, quòd accidentaliter species in uno,  
 uel

uel pluribus indiuiduis reperiatur. Quæ enim  
 indiuidua obnoxia corruptioni sunt, efficitur ne-  
 cessario, quòd species in pluribus indiuiduis sint.  
 Quæ uero ab interitu immunia euadunt, in uno  
 possunt esse. Quod in genere fieri nequit, cum per  
 oppositas differentias contrahatur: unde genus  
 quouis modo accipitur, si una ei solum species  
 offeratur, nunquam erit genus: ut Aristoteles ca-  
 pite quarto libri quarti topicorum. Et capite ter-  
 tio libri tertij primæ philosoph. Et Porphyrius  
 capite de specie ostendunt.

ERROR VICESIMVS  
 quintus.

Examinantur duo Aristotelis uerba, notius na-  
 tura, & notius nobis, unde maxima lux mul-  
 tis Aristotelis locis adducitur: reprehendi-  
 turq; Ramus, quòd nullam Aristotelis sen-  
 tentiam intellexerit.



E mo est qui dubitet, quantæ obscu-  
 ritates in omni philosophiæ genere  
 sint, ex nominum diuersitate, &  
 peritiâ rerum neglecta. Eadem ob-  
 causam

causam sepe in multarum rerum cognitione diu  
desudauimus: nam interdum una res multis nomi-  
nibus à quibusdam designatur, quæ apud alios no-  
mina sunt diuersarum rerum: interdum idem no-  
men à diuersis scriptoribus, diuersis rebus positum  
est. Porro ea nonnunquam aliter Boëtius, aliter  
Argyropilus, aliter Perionius, aliter alij interpre-  
tes Latine expresserunt. Quæ uarietas, tum nomi-  
num, tum interpretationum magnam rebus obscurita-  
tem affert, cum in multarum rerum expositione, iam  
maximè, in his uerbis, notius natura, & notius no-  
bis, quæ quantum obscura sint, & enarratu difficilli-  
ma, omnes cognoscunt, qui Aristotelis doctrinam ali-  
quantulum degustarunt. Quæ propter quidam Ari-  
stoteles uelit, in his uerbis ubiq; docere: ita pertra-  
ctabo, ut amplius nihil desideretur. Magna polli-  
ceor, fateor, sed maiora nos præstitisse, qui ueri-  
tatem mecum ex animo amant, non negabunt. In-  
terpretaturus igitur uim horum uerborum apud  
Aristotelem: illud statim aduerto, non bene Argy-  
ropilum lib. 1. phys. cap. 1. naturæ notius uertisse,  
cum notius natura esset dicendum: qui si Aristote-  
lis sententiam considerasset, naturæ notius non pos-  
se dici, existimaret. Quid est igitur natura notius?  
quod plurimum entis habet: ut Aristoteles cap. 4  
lib. 7

lib. 7. primæ phi. docet. Ad quid est id, quod pluri-  
mum entis habet? habere plurimum entis, est plu-  
rimum ueritatis obtinere. Hinc pueri, ut ipse in pro falso.  
principio physica docet, omnes uiros quasi patres  
agnoscunt, hoc nomine et ipsos appellat, quod parum  
aut nihil habeant ueritatis. Quatenus enim ab ho-  
mine genitus, homines, non equos aut boues pa-  
tres uocat, hæcenus parum habet ueritatis: quæ ue-  
rò cunctos sic appellat, nihil. Si enim id est natu-  
ra notius, quod plurimum habet entis, aut ipsum  
ens est: id erit nobis notius, quod parum aut nihil  
habeat. Itaque dominus Deus notissimus natura  
dicetur, cum ipsum ens sit, & ueritas, à quo & cæ-  
teris, alijs exactius, alijs offuscatus ipsum esse depe-  
det: ut Aristoteles cap. 9. lib. 1. de cælo memoria  
mandauit. Et id est, quod ipse insinuabat libro de  
mundo ad Alexandrum in hunc modum, dicens:  
Itaque uetus fama est, & quidem hæreditaria mor-  
taliū omnium, uniuersa à Deo, & per Deum no-  
bis esse constituta. Et mox, Quæ propter ueteres  
nonnulli adducti sunt, ut dicerent hæc omnia deo-  
rum esse plena. Veteres, quos inquit Aristoteles il-  
lud dixisse, sunt Thales, ut refert idem Aristoteles  
cap. 5. lib. 1. de anima. Et Heraclitus, testante eodẽ  
Arist. cap. 5. lib. 1. de partibus animalium. cuius hæc  
sunt



sunt uerba. Et quod Heraclitum dixisse ferunt ad eos, qui cum alloqui eum uellent, quod fortè in casa furnaria quadam caloris gratia sedentem uidissent, accedere tēperarūt, ingredi enim eos iussit si dēter, quoniā, inquit, ne huic quidē loco dii desunt immortales. Et Aratus, ut ex eodem in principio lib. cui nomen Phenomena indidit, colligi potest. Vnde Virgilius, Iouis omnia plena. Deinde angeli ac separate animæ natura notissima sunt, quod plurimū entis & ueritatis habeant: inde minus ea cognoscere possumus: ut Arist. cap. 1. lib. 2. primæ phi. dicret. Quæ admodū enim uespertilionū oculi ad lumen diei se habēt, ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima sunt omnium. Et cap. 2. lib. 1. eiusdē nominis ait. Ferè autē & difficillima hominibus cognita sunt ea, quæ maxime uniuersalia sunt, siquidem remotissima sunt à sensibus. Cōcludimus ergo ex Arist. sententia, id esse natura notius, quod plurimū entis habeat, aut ipsū ens sit: id uerò esse nobis notius, quod parū aut nihil entis habeat. Atq; cū species magis habeat de entitate, ac perfectione, ideo notiores sunt natura generibus: deniq; minus uniuersale notius erit natura magis uniuersali. Etenim omne magis uniuersale in minus uniuersali reperitur, & aliquid

aliud etiā includit: animalis sanè esse, est substantia animata sensibilis: esse uerò hominis, substantia animata, sensibilis, rationis capax. Magis igitur entitatis habet homo quàm animal: idcirco homo natura notior, animal uerò nobis. Hinc etiā est, quod species magis à natura intenduntur generibus, uel indiuiduis: ut testis locupletissimus Aristot. est, qui cap. 1. lib. 2. de part. anim. in hunc modū scriptū reliquerit. Sed cum contra in generatione, atque in essentia agatur: quæ enim posteriora sunt generatione, hæc natura priora sunt: et quod primū natura est, id ultimū est generatione. Nō enim ædes, laterū, aut lapidū gratia sunt, sed hæc ædiū gratia petūtur: quod idē de quauis alia materia intelligimus. Hæc utiq; generatio onaniū maxime uiuentibus est naturalis: ut Arist. dicebat ca. 4. li. 2. de an. Cuius rei ipse paulo post rationē ostēdens, inquit: ut sint semper hoc pacto, conditionēq; subeāt, quo ad possunt, diuinā. Clariū id ostendit cap. 1. lib. 2. de gene. anim. ita scribens: Cum enim natura eius sempiterna esse nō possit, quomodo fieri potest, eo sempiternū, quod gignitur, est. Numero igitur nō potest, substantia enim rebus in singularibus est. Quæ si talia essent, sempiterna essēt, specie uerò potest. Perspicue sanè Arist. ostendit specie à natura inten-

intendi, non singularia, neque genera. Longè per-  
spicaciùs id ipsum docet Aristoteles cap. 3. lib. 1.  
æconomicorum, sic dicens: Et simul natura per  
hunc circuitum adimplet sempiternitatem: ex quo  
secundum numerum non potest, at secundum spe-  
ciem. Item. 4. sect. Prob. quæst. 16. sic scripsit, Sua-  
uis autem tunc ex necessitate, tum rei cuiuspiam  
gratia concubitus est. ex necessitate, inquam, quòd  
uia omnis pertinens ad rem naturalem suavis est,  
si modò à sensu percipi queat. Rei uerò cuiuspiam  
gratia est, ut ortus sit animantium perpetuus: fa-  
cit enim uoluptas, ut animantes ad coitum arden-  
tius excitentur. Hinc generatione sui similis natu-  
ram ferri ad immortalitatem Galenus cap. 2. lib.  
14. de usu part. memoriæ mandauit. Quæ omnia  
à Platone sumpta esse. 4. de legibus libro repe-  
rimus. Iam igitur si species, quæ natura notiores  
sunt, cum ijs, quæ priori loco natura notissima es-  
se, conferamus: id inter ea, quantum ad cognitionē  
interesse dicemus, quòd diuina contemplari minùs  
quàm humana possimus: quem admodum copiosè  
Aristoteles cap. 5. lib. 1. de part. anim. in hæc uer-  
ba docet: Substantiæ, quæ natura constant, partim  
ingenite, immortalesq; seculis omnibus sunt: par-  
tim ortus participes, atque interitus intelliguntur.

Sed

Sed partem illam, æternam, & proinde nobilem,  
ac diuinam minùs contemplari propterea possu-  
mus, quòd admodum pauca illius modò sensui pa-  
tent, quorù beneficio, tum de ea ipsa parte diuina,  
tum de ijs, quæ nosse cupimus, facultas nobis cogi-  
tandi, indagandiq; suppeditetur. Res mortales,  
atq; caducas, ut stirpes, ut animantes, quòd eas so-  
cias, familiaresq; habemus, nosse uberiùs possu-  
mus: quippè cum multa inesse quoq; in genere per-  
cipere possit, quicumq; non laborem recusat ple-  
niorcm: utrunq; tamen studium nos delectat. Hæc  
igitur nobis erunt notiora, quæ uberiùs cognosci-  
mus: unde cum singularia sociæ, familiariaq; ha-  
beamus, nobis dicuntur notiora: uniuersalia uerò,  
quippè quæ remotissima à sensu sunt, obscuriora.  
Quæ propter optimè dicebat Aristot. cap. 23. lib. 2.  
de priori resolutione. natura syllogismum notio-  
rem esse, inductionem uerò nobis: quòd ille ab uni-  
uersalibus: hæc uerò à singularibus ortum sumat.  
Et cap. 10. lib. 1. topicor. iterum idem dixit. Et cap.  
2. lib. 8. eiusdem nominis idem scripsit. Hinc iam  
intelligemus difficultatem Aristotelis sententiam  
cap. 1. lib. 1. phy. ubi inquit: Hæc insita natura notis  
est uia, ut è notioribus nobis, magisq; manifestis, ad  
notiora natura magisq; manifesta proficiscamur.

R

Nam

Nam cum in eo sit hominū natura, ut à principio sensu plurimum ducatur (ad hoc enim omnes scientiæ principia duxerunt: unde omnis doctrina, & disciplina ex præexistenti fit cognitione. primo de demonstrat. cap. 1. & 2. cap. ultimo) operatione intellectus plurimum ualeant: quæ deinde progressu ætatis magis ac magis augetur & confirmatur. Illud profectò consentaneum est, ut si doctrinā naturæ hominis accommodatā sequi uelimus, ab ijs quæ sensui notiora sunt, ad ea, quæ intellectu & ratione magis concipiuntur, quam sensu proficiscamur. Sed ut processu ætatis efficiatur, ut multo plus intellectu homo ualeat, quam sensu: ita quando iā intellectu quisq; ualeat, iā quod tum sit, quando ipsa principia quæ sunt naturæ ordinē prima intelligit, tum est illud quoque consentaneum, ut ab ijs quæ intelligit, ad ea deueniat, quæ minus intelligit. Hanc docendā uiam, ex Platone docet Aristoteles cap. 4. lib. 1. eth. Et cap. 4. lib. 7. primæ philosoph. Et cap. 3. lib. 6. topicor. Et cap. 2. lib. 2. de ani. Neq; hæc loca Aristoteles perturbauit, ut ineptè Ramus contra Aristotelem scribit, quinimo idē semper uerè ac methodicè docuit, à notioribus nobis, ad ea, quæ natura notiora sunt, eundem esse. Ad præclare hunc Ramus trahauit locum: in suis

ERRATA=

enarrationibus ad cap. 2. lib. 1. de demonstratione. Imò uerò imperite, & inscienter. Verba eius subijctam, quò facilius coargui possit. Primus syllogismus à causis incipit. Ea per quæ scimus, primo loco tractanda sunt: per principia, causas, & elementa scimus: principia igitur cause & elementa sunt primo loco tractanda. Secundus syllogismus ex causis incipit. Nobis notiora primo loco tractanda sunt: effecta & cōposita sunt notiora nobis: sunt igitur primo loco tractanda. Repugantiā doctoris hic magnā uidemus. Scimus, inquit, cū causas nouimus, itaq; à causis incipiendū. At cōtra, à notioribus nobis incipiendū: causata notiora sunt nobis: ab his igitur incipiendū. Iā tecū Rame disputare aggredior, ut acie tuā, & uexilla ridicula facile cognoscat: neq; cōtumelias cōtumelias aut risum risu dissoluemus, sed rationibus urgēti, & imis omnia tua tanquā falsa, & fallacia resellā. Hic quoniam ordinē quē Arist. seruat, nescit: per notiora causa Arist. intelligere, existimat: quē planè cecutire & infantiliter hallucinari luce clarius demonstrabo. Cū enim principia rerū naturā alii ex alijs natura prioribus cognosci nō possint, illud superest, ut ex ipsis cōcretis naturā alibus, quæ Arist. confuse appellat, quasi per resolutionē quandā cōcretorū

R. 2

in

in sua elementa, aut totius in partes ad principiorum cognitionem deueniamus. Atqui illud dubium erat: cum oporteat ex concretis naturalibus ipsa principia nosse, concreta autem naturalia quaedam sunt, quae latius, quaedam quae minime late pateant: utrum uniuersalia potius an singularia concreta nobis accipienda sint, ut ex eorum resolutione ad principiorum cognitionem perueniamus: ueluti animal, naturale quoddam est, itemque homo, sed latius patet animal, quam homo: utroque autem latius patet corpus naturale. Illud igitur est quod quaeritur, utrum in uniuersum proponere debemus corpus naturale, an potius singulas species persequi, ut singularum specierum principijs per resolutionem quandam cognitis, omnium tandem rerum naturalium principia cognoscamus. Cui obiectioni occurrens Aristoteles ait, ex uniuersalibus ad singularia proficiscendum est, quia in uniuersum et confusa quadam cognitione, quae ad cognitionem principiorum sufficit, uniuersalia sunt nobis magis nota minus uniuersalibus: ut. 6. topic. cap. 3. et 5. et 3. primae phil. cap. 11. et 7. primae phi. cap. 4. idem Aristoteles dixit. Quod autem confusa quadam cognitione uniuersalia magis sint nobis nota quam singularia, duobus argumen-

tis

tis confirmat Aristoteles: uno ex natura definiti, et definitionis: altero ex puerorum cognitione. Illud item intelligendum est conferri ab Aristotele uniuersale cum singulari, hoc est, cum minus uniuersali, quae ratione utrunque sub sensum cadit, et confusa quadam cognitione percipitur. Quod si conferatur uniuersale cum singulari, quae ratione utrunque distincta cognitione et intelligentia percipitur, quae est cognitio essentiae cuiusque rei per intellectum: tunc uniuersale natura notius dicitur, singulare autem notius nobis. Unde intelligatur Aristoteles cap. 2. et 14. lib. 1. de demonstratione: et lib. 1. phy. cap. 5. Et lib. 2. de anima cap. 5. et alijs multis in locis. Haecenus Rame uerum Aristotelis sensum explicuimus, quem hisce syllogismis apte concludo. Primus syllogismus esto. A uia et ratione, quam teneret natura praescripto debemus, progrediendum est: ab illustrioribus et notioribus nobis rebus, est uia et ratio, quam teneret natura praescripto debemus: ab illustribus igitur et nobis notioribus rebus est progrediendum. Secundus syllogismus sic concludit. Ab illustrioribus et notioribus nobis est progrediendum: confusa sunt nobis notiora et illustriora: a confusis igitur est incipiendum. Tertius syllogismus

R 3 accu

accedit. A cōfusus est incipiendū : uniuersalia sunt cōfusa: ab uniuersalibus igitur incipiendū. Hic iā Ramus non se Aristotelem in his syllogifinis conficiendis turbari, dicet: sed in suis, quos ipse ad mētem Aristotelis uidetur disposuisse: quod sanē fa-  
 teor, ita enim inepte eos confecit, ut nihil mirum si Aristotelem repugnantiam docere scribat. Quare Rame uide, quemadmodum concludere debueras: tu ais, secundus syllogifimus ex causatis incipit: Nobis notiora primo loco tractanda sunt: effecta & composita sunt nobis notiora: sunt igitur primo loco tractanda. Quis te docuit Rame, sic sententiam Aristotelis aperire? An Aristoteles, aut Porphyrius? quos tu maxime contemnis? Sed confusa sunt nobis notiora: sunt igitur primo loco tractanda. Videamus quae sequuntur. Repugnantiam doctorie hic magna uidemus. Scimus, inquit, cum causas nouimus. Itaque à causis incipiendum. At contra, à notioribus nobis incipiendum: causata notiora sunt nobis: ab his igitur incipiendum. Quam queso grauis futura est haec tua disciplina, quam praecleara, quae à tam leuibus & falsis fundamentis ad tam uanum & futile fastigium à te excitetur? At ut tibi non rēgrō dixi, uno errore admissō, facile alij accedunt: quod tibi frequentissimum

mū est. Sic enim debueras colligere: A confusus est incipiendum: uniuersalia sunt confusa: ab uniuersalibus igitur incipiendum. Nonne haec est conclusio praecipua illius capituli? nemo est tam imperitus et inuers in physico negotio, mediū in logica, qui ignoret, hoc esse catholicum praecipuum à rebus uniuersis ad singulas esse progrediendum. Tu inepte id omisit: & id causa fuit, cur uerba Aristotelis in illo capite non intelligeres. Cur igitur Rame Aristotelem, uerum omnibus & naturae et industriae ac doctrinae praesidijs instructissimum, impostorem, praestigiatorem, ingeniorum carnificem, portentum, monstrum, Lernam, Hydrā appellabis? Tibi ille uidetur nullo ingenio fuisse praeditus: at Cicero cum longē omnibus, praeter Platonem, ingenio & diligentia praeditus dicit. Quid est hoc? Quid meruit Aristotelis sapientia, ut tua ineptia: quid ingenium, ut tua hebetudine calumniaretur? Aristotelem non intelligis: igitur doctor asinarius est. Crede mihi Rame: nunc denuō lege ac perlege Aristotelis monumenta: hoc si facias, melius rebus rationibusq; tuis consulēs, melius dignitati: quod ut facias, non ego te uehementer rogo, cum cerio sciam oleum, & operam te perdere, si nunc à tuo Cicerone, uel potius à tua grammatica ad

speculationem rerum & uerborum sublimem de-  
 scesseris. Grammaticam, & eloquentiam profite-  
 ris: tu ais, nihil igitur mirum, si tam male senten-  
 tiam Aristotelis cap. 4. lib. 1. ethi. intellexisti: ut  
 eam inepte enarrasti: iterum se Aristotelem tur-  
 bari dicis: Aristoteles iterum docet a nobis illustri-  
 oribus ad natura notiora esse procedendum. Hoc  
 docet: hoc persequitur: a definitione felicitatis inci-  
 pit, quae nobis clauis est, non natura, ut stultie di-  
 cis: ab hac ad species felicitatis peruenit, natura  
 notiores, ut supra ex Aristotelis decretis ostendi-  
 mus: quid igitur reprehendis? quid maledicis? idem  
 turbari dicis in. 6. metaphysico. Hinc cognosces,  
 quam infantiliter aduersus Aristotelem loquereris:  
 propterea quod nec unum uerbum in. 6. meta-  
 physico, de notiori natura, & nobis, reperitur.  
 At nihil mirum. Sed hoc tibi ut minus cauto, &  
 memori (quod in mendaci desideratur) condona-  
 mus. In lib. 7. primae phi. idem docet: idem repe-  
 tit: sed non perturbat: imò ut inquit: sic exequitur.  
 Item cap. 3. 6. top. idem persuadet, a nobis scilicet  
 notioribus esse exor diendum: et idem agit. Præterea  
 lib. 2. de anima cap. 2. idem monet: & idem docet:  
 & idem exequitur. Nam incertiora natura, nobis  
 tamen notiora, inquit, ducunt nos in certiora &  
 notio-

notiora, & ab illis ordiendum esse: operationes  
 autem animæ nobis certiores, & notiores sunt, ab  
 his igitur ordiendum. Incipit a notioribus nobis, de-  
 cet quispiam, non desistit in notioribus natura: nihil  
 minus: imò si omnes Aristotelis libros perpendis,  
 utiq; cognosces a suo catholico præcepto nec la-  
 tum unguem deuiare. Veram igitur Aristotelis  
 sententiam hactenus explicuimus, defendimus, &  
 comprobauimus. Ceterum quia dubitando exa-  
 ctius uniuscuiusque rei natura acquiritur, & in-  
 telligitur: ut autor est Aristoteles lib. 1. eth. ad Eu-  
 demum. Dubium graue oritur ex Aristotele. cap.  
 14. lib. 2. de demonstratione: ubi docet, a singulari-  
 bus ad uniuersalia esse procedendum: & per sin-  
 gularia minus uniuersalia intellexit: ueluti constat  
 ex prioribus uerbis capituli. Respondendum est  
 Aristotelem in physicis loqui de methodo uniuersali  
 scientiarum, quo scilicet scientiæ utuntur: in  
 hoc uero loco, quem modo citauimus, de methodo  
 definitiua agit: unde constat nullam in Aristotelis  
 præceptis esse contradictionem. At dices, si nobis  
 nota, & natura sunt idem, ut Aristoteles testatur  
 cap. 3. lib. 6. top. quid interest, an ab uno, aut alte-  
 ro incipias: quin etiam Aristotelem sibi aduersari  
 dicemus: qui cap. 1. lib. 1. phy. cap. 4. lib. 1. eth. non

R s eadem

eadem esse nobis nota, ac natura, dixit. Occurrendum huic est, genus scientiarum non esse unum, sed triplex: metaphysicum, physicum, & mathematicum: in duobus prioribus eadem quae sunt nobis, non erunt natura notiora, quomodo locus Aristotelis in physicis & ethicis intelligendus est: in posteriori e conuerso accidit: nam principia, e quibus mathematicus incipit, & nobis & natura notissima sunt: ut uidere licet apud Euclidem in principio suorum elementorum. Haecenus, studiose Lector, quae ad uniuersam cognitionem librorum Aristotelis de priori resolutione ualde conferunt, primum exequuti sumus, deinde sigillatim de multis aliorum librorum capitibus diximus: hinc, fauore diuino, ad librum categoriarum, & libros de demonstratione pergamus: ut nihil in logica aut dialectica desideres, quod non castigatum, & omni mendacium reperias. Interim his libris duobus fructu, quae magno studio & labore, magnis sumptibus, multis uigilijs conquisita & cognita tibi candido animo & liberaliter impertimur.

Si quicquam dictum, aut factum in his duobus Dialecticorum errorum libris fuerit contra patrum sanctorum decreta, in seculo, indictumque esto.

XIII  
P R A E C I P V A R V M R E  
rum, quae in primo libro tractantur, Index.

**D**ifferentia inter Logicam & Dialecticam aduersus omnes nostri temporis Dialecticos, ostenditur. cap. 1.

Aristotelis topicen non esse scientiam facile indicatur, contra omnes Dialecticos. cap. 2.

Reprehenduntur omnes logici, propterea quod nomen logicae, & dialecticae, confuderunt. cap. 3.

Vera Dialectica definitio demonstratur ex Aristotelis sententia, aduersus Taleum. cap. 4.

Quid per modum sciendi Aristoteles intelligat, docetur, aduersus Nuncium. cap. 5.

Ens rationis non esse subiectum logicae contra multos Logicos, examinatur. cap. 6.

Nomen Dialecticae, ad primam philosophiam se extendi, aduersus Nuncium, probatur. cap. 7.

Vera & exacta definitio syllogismi, interpretatur, ut facile omnes aberrasse, credas. cap. 8.

Definitio propositionis docetur: unde colliges nostri temporis dialecticos in ea definienda cecuisse. cap. 9.

Enun

Enunciatio non est genus propositionis, aduersus Vallam, & Trapezuntium. cap. 10.

Quinq; modos primæ figuræ inuersæ & præposteræ concludentes ab Aristotele esse inuentos, iudicatur. cap. 11.

Reprehenditur Taleus, quòd definitionem syllogismi non intelligat. cap. 12.

Decem esse topicorum libros, contra omnes Dialecticos, manifestatur. cap. 13.

Philoponus taxatur in enarratione cuiusdam Aristotelis loci. cap. 14.

Propositio de parte negata non reciprocatur aduersus complures nostri temporis Dialecticos. cap. 15.

Propositionem conuersam, & conuertentem, non esse eandem, pronuntiatur. cap. 16.

Conuersionem cum oppositione ab Aristotele non esse omisam, aduersus Vilhalpandum scribitur. cap. 17.

Lapsos esse Aristotelis interpretes, qui ex Gaeni sententia, quartam figuram dari existimant. ca. 18.

Errant logici credentes Aristotelem syllogismos hypotheticos omisisse. cap. 19.

Modus, medium inueniendi, docetur. cap. 20.

Definitio inductionis omnino interpretatur, contra

tra

tra sententiam multorum logicorum. cap. 21.

Duas contradicentes non posse esse simul falsas, in propositionibus (quas appellant barbare) insolubilibus, ostenditur. cap. 22.

Species argumentationis specie differre, contra Nuncium. cap. 23.

Nō aliquis, idē efficit, quod aliquis nō. cap. 24.

Quibus logica, & omnes scientiæ comparantur, docetur. Item taxatur Taleus, quòd Aristotelem diuisionē dialecticæ prætermisisse dicat. ca. 25.

## INDEX LIBRI SECVNDI.

Complexio non est pars syllogismi, aduersus Buranum. cap. 1.

Locus obscurus interpretatur, ex cap. 30. lib. 12. de priori resolutione. cap. 2.

Locus obscurus, ex cap. 42. lib. 1. de priori resolutione enarratur. cap. 3.

Oppositio solum diuiditur in contrariam, & contradicentem. cap. 4.

Quid sit propositio absoluta ex Aristotelis mente, indicatur. cap. 5.

Expositio in omnibus fit figuris, aduersus Buranum, & alios interpretes. cap. 6.

LOCUS



*Locus obscurus ex cap. 22. lib. 2. de priori resolutione, exploratur, cap. 7.*

*Dispositio ex oppositis non est syllogismus, ca. 8.*

*Locus obscurus ex cap. 12. lib. 1. de priori resolutione, exponitur, cap. 9.*

*Quid methodus, & quas in partes diuidatur, ostenditur, cap. 10.*

*Syllogismi inuentorem Aristot. fuisse, cap. 11.*

*Enarratur quaedam Aristotelis sententia ex cap. 1. lib. 1. de priori resol. precipuumq; medium ad sciendum ostenditur, cap. 12.*

*Nullum esse Aristotelis in logica, & Dialectica opus: in quo & inuentionem, & dispositionem, non mirè docuerit, p. 13.*

*Obscurus locus ex cap. 28. lib. 1. de priori resolutione, interpretatur, cap. 14.*

*Aristoteles omnibus philosophis est praefereendus, cap. 15.*

*Locus Aristotelis elegans, idem tamen subobscurus, accurate ponderatus: in quo de magis expetendo, & fugiendo, agitur, cap. 16.*

*Quid ualeat apud Aristotelem uerbum, quid, ostenditur: item locus purgatus lib. 4. top. cap. 6. cap. 17.*

*Difficilis locus ex i. top. interpretatur, cap. 18.*

Casti-

*Castigatur locus Aristotelis lib. 8. topi. aduersus omnes interpretes, cap. 19.*

*Definitio accidentis exactè enarratur, cap. 20.*

*Num disciplinae subseptium, sit proprium, an differentia ostenditur: item sublatum mendum ex lib. 4. top. cap. 21.*

*Gravis disputatio de differentiis substantialibus, an in categoria substantiae ponantur, cap. 22.*

*Quid sit differre numero: acutè ostenditur contra omnes logicos, cap. 23.*

*Num uerba singularia notis uniuersalibus, dea terminentur, cap. 24.*

*Quid sit notius nobis, & natura ex Aristotelis sententia docetur, cap. 25.*

## FINIS.

## ERRATA SIC CORRIGITO.

Folio. 1. pag. 2. linea. 8. lege tam. fol. 5. pag. 1. lin. 22. lege numerus. & pag. 2. linea. 18. lege analyticè. fol. 13. pag. 1. li. 20. lege de qua. fol. 21. pag. 2. lin. 8. lege superstitem. fol. 24. pag. 1. lin. 3. le. circa quid. fol. 26. pag. 1. lin. 10. le. syllogismum. fol. 27. pag. 2. linea 10. lege pendere.